

PALAESTRA LATINA



N. 225 — ANN. XLIV — FASC. II
M. JUL. DEC. — A. MCMLXXIV

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII CAESARAUGUSTAE EDENDI

COMMENTARIORUM CONSILIUM

- Praeses:* A. Pérez, CMF.
Moderator: M. Molina, CMF.
Administrator: H. Arenas, CMF.
Curator technicus: J. Aspa, CMF.
Praecipui scriptores: J. M. Mir, CMF. - J. M. Jiménez, CMF.

MODERATIONIS LOCUS cui mittenda sunt scripta:

Seminario Claretiano - ALAGON (Zaragoza - España)

ADMINISTRATIONIS SEDES cui pretium mittatur oportet:

San Antonio M.^a Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

PRETIUM SOLVENDUM

- pro commentariis quotannis edendis:
 - in Hispania constat 100 pesetis
 - in America Hispanica 100 pesetis
 - in Gallia 12 francis
 - in Italia 1400 libellis
 - in Germania 10 marcis
 - in Anglia 20 solidis
 - in reliquis civitatibus 3 dollaribus
- pro serie integra cujusque superioris anni:
125 pesetis constat in Hispania.
- pro quoque fasciculo qui separatim venit:
30 pesetis in Hispania constat.

M. JUL. — DEC.
A. MCMLXXIV

225

ANN. XLIV
FASC. II

PALAESTRA
LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
SOCIIS CLARETIANIS BIS IN ANNO EDENDI

I N D E X

N. 225 — ANN. XLIV — FASC. II

M. JUL. DEC. — A. MCMLXXIV

J. IJSEWIJN, <i>Cycneus latinitatis cantus</i>	67
J. MARINELLI, <i>Carmina</i>	73
J. M. MIR, C. M. F., <i>Quid ex scriptoribus et commentariis superiorum aetatum inferre possimus ad conficiendum lexicon recentis latinitatis</i>	83
T. VUORI, <i>Vir romanus</i>	97
H. PAOLETTA, <i>Reditus</i>	103
Ae. PIOVESAN, <i>Quid Horatius de Lucilio poeta senserit</i>	107
J. M. JIMÉNEZ - M. MOLINA, C. M. F., <i>Bibliographia</i>	111
M. MOLINA, C. M. F., <i>Index rerum atque scriptorum a. 1973 et 1974</i>	123

CYCNEUS LATINITATIS CANTIUS?

DE CAUSIS ADFLICTAE LATINITATIS ORATIO

ROBORETI APUD ITALOS HABITA

POSTRIDIE KAL. NOV. MCMLXXII

Paucis mensibus ante cum invitatus essem ut Roboreti coram vobis, amplissima Latinitatis vivae corona, de Musis quid nunc agant latinis orationem haberem, non sine gaudio honorificum id munus accepi et suscepti, verum etiam quadam cum animi molestia et anxietate. Nam festis diebus oratores laudare et praedicare, immo vitulanti — ut ita dicam — laetitia triumphare solent propterea quod res aut homines, quos celebrent, tum valetudine utuntur optima, tum condicione florent prosperrima. Nos autem, qui *Latinas* hasce ad *ferias* studiosi et grati libenter convenimus, probe scimus omnes Latinitatem matrem ejusque filiam formosissimam, quam Camenam appellamus, pessima torqueri valetudine neque ad earum lectos adsidue adstare medicos praestantissimos, sed pollinctores horridos atque horrendos. Quo factum est ut dubius diu haesissem utrum mihi festa an funebris habenda esset oratio. Quae cum ita essent, jam tandem haud abs re nostra futurum esse putavi, si pauca de Latinitatis et latinae poeseos, quae nunc est, condicione in medium proferrem, altius dein de causis adflictionis inquirerem ut inde, quae prospicere nobis liceat, expulsa omni falsae spei aut tristitiae caligine, clara videamus in luce posita.

Quicumque nostrae tempestatis cursum diligentius observaverit, insignem educationis liberalis totiusque humani cultus mutationem apud nationes et populos occidentales post alterum bellum universale coeptam esse et progressam haud ignorat. Nam tralaticium illud gymnasium, quod studio linguarum veterum vel saltem latinae linguae cultu a multis retro saeculis nitebatur itaque commune occidentalis civitatis et civilitatis fundamentum jaciebat, nostris nunc diebus ubique fere terrarum abolitum exterminatum expulsus est, aut jam in eo est ut brevissimo tantum tempore funditus sit collapsurum. Atque illis etiam in scholis, ubi ex parte saltem ad hoc tempus supersunt latina studia, ob nova quae invaluerunt paedagogorum praecepta adolescentulis studiosis omnino vetatus e vernaculo verba in latinum convertere. Quo factum est ut nemo scriptor latinus ex his quasi seminariis in posterum educatur, nisi post scholae

curriculum ipse se exercere velit. Unde etiam inter alia conici potest perpauca scriptores futuros esse, qui metra antiqua callebunt iisque uti poterunt.

Eodem etiam nostro tempore studiorum universitates latinam linguam expulerunt aut expellunt: praelectiones enim de lingua latina vel de scriptoribus latinis e studiorum curriculis in jure, theologia et historia multis in locis exciderunt. Nemo fere vir doctus latine scribit, tum quod plerique latine scribere non valent etiam apud philologos, qui nunc sint, classicos, tum quia librorum et commentariorum editores latina opera typis nolunt divulgare. Latina enim non leguntur, ergo et non emuntur, ergo non excuduntur. Ipse ego, qui commentarios 'Humanistica Lovaniensia' de studiis Latinitatis recentioris singulis annis in lucem emittere conor, expertus scio quamplurimos bibliothecarum praefectos non emere libros nisi majore lingua vernacula et imprimis anglica scriptos. Accedit denique quod linguam latinam aut ignorant aut contemnunt plerique, qui nunc sunt, sacerdotes catholici et pastores reformati. Quod et iterum expertus scio, qui per aliquot annos linguam latinam docui in sacra facultate theologica Lovaniensi. Duobus annis ante haec facultas linguam latinam omnino fere expulit, tum quia professores eam studiis theologicis inutilem judicaverunt, tum quod studiosi parum aut nihil ea lingua instructi in facultatem venerunt et, quod ignorabant, odio habebant. Quid, quod ipsa pontificia universitas Gregoriana linguae latinae usum seposuit! Ante autem permulti viri ecclesiastici linguam latinam studiose excolebant, non raro etiam versibus scribendis sese exercebant vel animum a gravioribus curis refocillabant. Sacri etiam ordines et societates peculiarem linguae latinae curam habebant, putate Jesu Societatem vel Scholas Pias. Qui autem omnes latinum usum et studium dereliquerunt, bibliothecas saepe suas distrahunt, cultu et religione tardatos se credunt nisi contemptim de lingua latina loquuntur. Rarissimi inter eos supersunt — ut Josephus Venturinius, Johannes Baptista Pigatus, Olynthus Pasqualettus Itali, Caelestis Eichenseer et Nicolaus Mangeot Germani, Josephus Mir et Josephus Jiménez Delgado Hispani, Raymundus Sarmiento Argentinianus, Emmanuel Jáuregui Briceño Columbianus, quos honoris causa nomino — qui latinitati etiam nunc favere audeant identidemque latine scribant. At rarissimi sunt nantes in gurgite vastissimo, neque video quibus lampada tradere possint. Apud reformatos autem post mortem Vilelmi Arvani Vindobacensis jam nullus, quod sciam, superest poeta latinus. O quantum mutatum a saeculo superiore, cum apud Batavos, Britannos atque in Silva Nigra plurimi pastores elegantissime canerent!

Qui tandem ita factum est? Causas agnovi nunnulas, partim ex temporum vicissitudinibus adjunctisque natis, partim ipsis latinae linguae cultoribus imputandas.

Primam latinitatis declinantis praecipuamque causam duco altissimam gustus in re litteraria mutationem. Nam ab antiquitate graeca et romana ad saeculum fere duodevigesimum omnes ubique litterae in arte rhetorica et poetica nitebantur novaque semper scriptorum saecula sese ad imitationem et aemulationem auctorum antiquorum accingebant. Quo factum est ut veteres illi magna semper reverentia colerentur, et recentiores prout quis ad veteres proxime accessisset. Quod quidem imprimis fieri potuit latine scribendo. Sic Baptista Mantuanus dictus est Vergilius christianus, Salmonius Macrinus Horatius Gallus, Cornelius Schonaeus Terentius christianus, Caspar Barlaeus Claudianus Belga, Matthias Sarbievius Horatius Polonus aliique multi similiter laudati sunt. Neque id obliviscamur quod ad usque magnam Francogallorum seditionem lingua latina in rebus politicis, ecclesiasticis, academicis plurimum valebat multisque hominibus in vita sive publica sive academica maximo erat usui.

At saeculo undevigesimo nata est nova cultus humani ratio, quam romantismi nomine insignire solemus; quae ad litteras quod attinet, omnia penitus funditusque commutavit: auctores enim non ob felicem imitationem, verum animvero ob scripta maxime sua et nova laude digni censebantur. Quod quidem imprimis fieri potuit vernacule scribendo.

Attamen Muis latinis romantismi ortus et progressus tam mortale periculum fortasse non fuisset, si viri docti et latinae linguae studiosi fatalem non incidissent in errorem: nam maximi poetae recentiores ut Baudelaire Gallus vel Pascolius Italus latinae versificationis satis periti et amantes erant, ut eorum quae exstant carmina citra controversiam demonstrant. At superiore saeculo, dum romanticismus gliscit in litteris, latinitatis cultores deploranda quadam et falsa opinione in tam augustam iudicandi rationem deducti sunt ut totam fere latinitatem, quae post Tacitum per sesquimillennium ubicumque terrarum floruerat, superba mente damnaverint, barbaram eam aut mortuam dicentes atque indignam quae legeretur. Priscae Romanae ecclesiae patres, Mediae Aetatis scriptores, Renascentium litterarum oratores et poetae omnes omnino viles ab iis pendebantur. Quo supercilio Musae brevissimo tempore fugatae sunt vixque unum aut alterum invenerunt virum singularem, apud quem laterent. Tum opera scriptorum recentiorum imprimi desierunt, tum etiam numerus latine scribentium intra paucos annos imminutus est ut ante numquam, nisi merovingica fortasse tempestate. At docti illi doctissimi utinam reputassent doctrinam sine Muis mox frigere et apud populum esse taedio. Utinam enuntiatum illud Hieronymianum considerassent, quo recte dictum est: «Poetam non potest nosse, nisi qui versum potest struere». Quare tanto magis gaudeo quod nostris diebus pauci quidam juvenes docti ut Guido Lee Anglus, Fidelis Rädle et Anna Radke Marpurgenses ad versus latine condendos redierunt.

Firmam habeo persuasionem id doctrinae haud nocere, verum favere. Sed ut redeam ad doctores Musis vivis inimicos: utinam tandem vidissent litteras latinas, si praeter romanarum litterarum partem nil retineatur, a litteris vernaculis diu jam esse superatas, secundum saltem quod opinantur plerique nostrae memoriae homines litterati. Atque etiam aliter si quis hac de re judicare velit et Romanas litteras insuperabiles habet, negare tamen non poterit, si sanae est mentis, generalem litterarum condicionem nostra aetate longe aliam esse atque quinque saeculis ante. Illa enim aetate vix erant vernaculae litterae majoris momenti, nullaque erat lingua, praeter latinam, hominibus doctis diversarum nationum communem.

Quo tum factum est ut facile praevaleret latinitas. Nunc vero vernaculae litterae apud singulas nationes ad plenam maturitatem auctae sunt, optimis superbiunt auctoribus, scribendi generum copia abundante, novis semper experimentis renovantur et, ut earum statum uno comprehendam verbo, virent vigentque. Simul exortae sunt linguae — putate anglicam — quas ubicumque terrarum adhibere possunt homines ad litterarum aut aliarum rerum commercium. At quotus quisque, etiam doctus, nunc latine scit? Atque eo ipso tempore, quo latinitati omnibus suis viribus opus est ut superesse saltem possit, plerique ejus cultores maximam scriptorum et operum latinorum partem damnaverunt, ejecerunt, enecuerunt. Et quod aequae grave est: bene meriti illi viri, qui Musas languentes refocillare voluerunt ideoque certamina indixerunt, eadem judicii artatione laboraverunt et ad hunc diem poetas latinos ad unam antiquorum imitationem constringunt. At quamdiu erunt, iterum rogo, qui hisce condicionibus certare volent aut valebunt? Dies jam instat certaminum supremus. Considerate quam pauci etiam carmina Amstelodami in certamen Hoeufftianum mittant! Considerate etiam hos paucos ad unum fere omnes Italos esse, et saepe eosdem, qui e certamine quoque Vaticano praemia ferunt. Inter quos imprimis Josephus Morabitus, Theodorus Ciresola et Olynthus Pasqualettius sunt laudandi. Quodsi haec magna est Italiae atque ipsorum poetarum gloria, neminem tamen fugiet hoc esse omen condicionis periculosae. Nam si ad tam paucos unius nationis scriptores res latina redigitur, de ea jam acta est. At certamina relinquere mirandum non est quandoquidem poetae eximii ut Josephus Eberle Germanus vel Johannes Gaestner Americanus vel Janus Novak hic noster talia plerumque carmina condunt, quae normis illis antiquis minime respondent. At dicite mihi, quaeso, ubinam terrarum litteras florentes invenire possitis, quae in aeternum ad decessorum quorundam imitationem determinatae sint, idque non tantum ad formas et genera quod attinet, verum ad ipsa quoque argumenta, quae tractentur? Hoc autem est occidere Musas: ejusmodi perpetuis compedibus eas vincire, etiamsi sunt aureae.

Est et alia causa cur nostra vacillet latinitas. Quam causam invitus memoro, attamen memoro antiquum illud adagium secutus: amicus Plato, sed magis amicus veritas. Rari, ut scitis, hac nostra aetate supersunt commentarii latinis litteris excolendis editi. Eorum autem sunt, qui duplicem censuram patiuntur. Censuram haud dico justam ac prudentem criticen, qua nullius pretii frivola arcentur et ab editoribus recusantur. Censuram dico, si scripta foras non dantur propter auctoris personam — etiamsi haec persona nihil pertinet ad argumentum tractatum — vel propter auctoris in rebus litterariis iudicium, quod differat ab editorum iudicio. Utriusque casus exempla novi ideoque non miror cur commentarii vitam trahant exsanguem et moriturire videantur.

Aegre satis locutus sum et non sine tristitia quadam acerba. Persuasum enim habeo — et utinam ne sim Casandra! — litteras latinis, nisi ipsi nos animum illico mutamus, brevi perituras esse et in proximum saeculum haud superfuturas. Decem fere annis ante librum scripsi de poetis nostrae aetatis latinis. Ab eo tempore mortui sunt scriptores praestantissimi in Italia Victorius Genovesius, Vincentius Polydorus, Hugo Henricus Paolius, Ferdinandus Maria Brignolius, apud Croatos Antonius Smerdel, apud Germanus Hermannus Steinberger, et alii alibi. Alii, quos memoravi, etiam vivunt, plerique senes et magna ex parte jam silent. His poetis mortuis aut intra hujus saeculi terminos morituris perpauci successerunt apud duas tresve nationes. Non vate opus est ut sciamus cycneum latinitatis cantum jamjam cani, nisi prompta paratur medicina.

Quid ergo faciendum? Demissisne animis sedebimus vel Camenae exsequias ibimus? Absit! Latine scribere pulchrum est et nobile negotium. Nostris etiam diebus Musa scriptorum animos allicere potest. Scriptori quoque vernaculo usui et delectationi esse potest intredum et latine scribere. Id luce clarius olim monstraverunt Manzonius Italus, Mickievicius Polonus, Baudelairius Gallus, recenter autem Antonius Smerdel Croatus, Josephus Eberle Germanus, Johannes Gaertner Americanus, Robertus Graves Anglus. At scriptoribus necessaria concedatur libertas necesse est ut scribant quomodo ipsi velint et de quibus malint argumentis. Caveamus porro ne latine scribentes homines esse videantur revolutae aetatis et nunquam redditurae. Latinitas floruit dum latini scriptores revera sui ipsorum temporis erant proecones aut castigatores: putate Paulum Diaconum vel Alcuinum, Wahlafridum Strabonem et Gottschalcum, Johannem Sarrisbericensem et Magistrum Nivardum, putate etiam Petrarcam et Erasmum, Thomam Morum, Justum Lipsium vel Hugonem Grotium, quin etiam Leonem XIII et Petrum Esseivam vel Johannem Pascolium et, ne eos qui etiam nunc supersunt sileam, C. Arrium Nurum, Josephum Eberle, Janum Novak, Fidelem Rädle et Annam Elissam Radke. Liberi ergo sunt, iterum iterumque dico, scriptores latini

cum in argumentis tractandis, tum in dicendi generibus eligendis. Grammatici latini superioris saeculi praeter alia carmina Mediae Aetatis ut barbara damnaverunt. At Carolus Orff, celeberrimus artifex, carmina Burana elegit (sicut etiam nuperrime Janus Novak) ut pulcherrimam iis musicam conderet; quam musicam plures nostri temporis homines audiverunt et admirati sunt quam qui legerunt poetas romanos. Id quidem non dixi ut scriptoribus romanis aliquid detraherem — quod insanae revera esset mentis — sed ut Musarum amantibus suaderem resipiscant aliquando et Musas diversis vocibus esse locutas agnoscant sibi que ea de re gratulentur et gaudeant.

Nemo infitias ibit fieri jam non posse ut latina lingua pristinum locum obtineat apud oratores et poetas, qui nunc sunt et postea erunt. At fieri utique potest ut illa lingua parvum electumque hominum cultorum numerum delectet et alliciat ad stilum etiam latine tentandum. Severa namque illa latinitatis gravitas et sonorum dulcedo multos olim attraxit, quosdam etiam attrahere poterit, modo libere ea frui liceat et secundum uniuscujusque animum: de gustibus enim, sicut de coloribus vanum est disputare.

Quodsi id vere auguratus sum, primae hae feriae non erunt ultimae et inter nostros nepotes erunt fortasse, qui Camenam alacres colent. Sin autem, valde metuo ne praeter eos, quos supra memoravi, apud Italos Raphael Paone, Stephanus Donini, Silvius Stefanellius, apud Anglos Guido Lee et Herbertus Huxley, apud Dacorum Trajanus Lazarescu cycneum nunc canant latinitatis cantum.

Haec sunt quae in medium proferre volui, amore latinitatis motus. Per has dies Roboretanas fortasse de remediis disputare poterimus, non merita linguae latinae iterum iterumque decantantes — nemo enim nostrum Camenam non diligit — sed condicionem nostram humiliter perscrutantes erroresque denuntiando remedia quaerentes. Sic denuo fortasse elegantiores litterae aliquando renascentur ad gaudium et delectationem multorum hominum multarum nationum. Quod toto ex animo vobis opto et cupio.

JOSEPHUS IJSEWIJN

In Universitate Catholica Lovaniensi Professor

Petrusberg 11

B - 3044 HAASRODE (Belgium)

C A R M I N A

AD VIRGINEM DEI MATREM

Ut visa es olim, rivulum apud, gregem¹
Quo saepe duxit casta puellula,
Super Lapurdi antro, universi²
Undique quod populi frequentant.

Ex aere et auro et marmore imagines
Sic nunc, eadem pro specie tua,
Ubique terrarum per orbem
Artifices posuere totum.

Alba videmus Te tunica, pedes
Nudos, amictam, quos redolentibus
Rosis adornas; bis refulget
Sideribus diadema senis.

Te conterentem virgineo pede
Draconis illud turpe rei caput
Videmus elatum tuaque
«Immaculata ego» voce flantem

«Conceptio adsum» mox, quasi in auribus³
Nobis susurres, Te remur; et manu
Geris Marialem Coronam⁴
Rore et in altum oculos madentes,

Instar precantis, vertis. An impetras
Tu, Mater orans, ut veniam Pater
Det omnibus? Templi columna⁵,
Omnibus Arca salutis esto!

1. rivulum — «gave». In Gallia Inferiore omnes fere rivuli montani «gaves» appelluntur.

2. antro — seu spectus apud «Massabielle», quo super Immac. Virgo apparuit.

3. Cfr. Cant. 2: sonet vox tua in auribus meis.

4. Marialem Coronam — vulgo «Rosario».

5. Cfr. «Apocal». XI,19 — XII,1,10.

PATIENTIS VIRGINIS NOMEN

Pulchrius quodnam decorare nomen
Te potest, nunquam domitam, beata
Virgo? Te, proles simul et Parentis
Inclita Mater?

Concinunt omnes Tibi nomen istud:
Nazareth primum Gabrielis ore⁶;
Antequam vero fuit orbis indit
Ipsae Creator.

Istud et nomen memorat minister
Aedis antiquae, Simeon: «Doloris⁷
Corde Te vulnus fodiet perenne,
Anxia Mater!»

Istud et nomen recolis, Maria.
Cum sibi invisum metuens futurum,
Sancit Herodes Puerum insequendum
Caede tyrannus⁸.

Edit hoc nomen Crucifixus Ipse,
Ultimam spem faciens salutis,
Desuper magna Sibi voce clamans
Compatientem⁹.

Sit Liber codex Patientiae almus,
Quem legis; sit, quam geris, ipsa Stella,
Quam ducem fidam sequimur, per arcta,
Praevia nobis¹⁰.

Te, decus nostrum, clypeum malorum
Supplices, Mater, precibus vocamus:
Imprigre Tecum patiamur; inde
Laetificemur!

6. Ab ipso Arcangeli nuntio capit patientia initium; Verbum enim ejus Maria sicut ancilla, humiliter accipit (Luc. I,32).

7. «Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.» (Luc. II,35).

8. «... accipe puerum... et fuge in Aegyptum... Futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum.» (Math. II,13).

9. Maximum patientiae exemplum est D. N. J. Ch. crucis supplicium. Ab ipsa patientia originem spes salutis habet: «... tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes non confundit.» (Paul. Ap. ad Romanos, 5).

10. Peculiariora in M. V. Patientis imagine signa conspici possunt, liber et stella: praecepta, videlicet, exercendae patientiae virtutis et praevia per vitae semitas dux.

VERSIONE METRICA DELLA SAFFICA «PATIENTIS
VIRGINIS NOMEN»

IL TITOLO DELLA PAZIENZA

Mal vinta nel dolor, mai nell'oblio,
Qual più bel nome ti s'addice, o nata,
E al tempo stesso Madre, del tuo Dio,
Vergin beata?

Pria che l'Angelo a Nazareth l'Avvento
Vaticinasse, di tal nome l'eco,
Pria de la terra, pria del firmamento,
Era già teco.

E Simeon: «Trafiggerà'il tuo cuore
Leggendo il nome ne le tue leggiadre
Pupille — disse —, il ferro del dolore,
Trepida Madre!»

Di questo nome t'ovvivò'il ricordo
L'editto de la strage:odor di danno
Per sè fiutando, di potere ingordo,
L'empio tiranno.

Di questo nome ancora l'esperienza,
De l'ultimo cimento vincitrice,
Il titolo ti die de la Pazienza
Corredentrice.

Apri anche a noi il libro de la vita:
L'aspro cammino illumina con quella,
Che al petto rechi, a l'anima contrita,
Fulgida stella!

Nostro scudo a decor, Tu ne conforti.
Mentre n'avrem quaggiù degna memoria,
De le tue pene rendici consorti;
Poi de la gloria!

MARIA SEDES SAPIENTIAE

Virginis e ligno stat sculpta Deiparae imago;
Parvula, sed vigilans semper ut alma parens.

Imminet illa mihi; pluteos videt usque deorsum;
Commentariolos conspicit atque libros.

Multiplici instructis serie quae condita in illis
Verba latent, aperit. Namque, locuta nihil,

Indit et ipsa mihi quicquid Sapientia prodit:
Arcano mentem flamine, luce replet.

Non humus in manibus virides flores nec olentes
Uda novos posuit: flosculus, artis opus,

Nocte dieque micat, tenuis ceu lychnulus ardens,
Visque latens lucem suscitatur exiguam.

At flores tamen en violas en quotque rosarum
Rore dedit madidas daedala terra recens,

Fert dilecta soror mea, cum jam prata virescunt:
Corde gemens, lacrimans, sedula, fida legit;

Divinae Matri flores pia ponit et instans
Impetrat ut praesens placet et oret Eum,

Quem genuit: patris extrema, non iudicis, hora,
Munere, nil merito, mortis adesse velit.

VIR SOBRIUS

Alitis illius cum nuntius arva pererrat,
 Deserit ille torum; stella superna polo,
 Lucifer, alma micat; vox nulla silentia rumpit:
 Longe latratu personat aura canum.
 Omnia fausta ferat nova lux et ut acta secundet,
 Mox cruce se signat, quaerit opemque Dei.
 Interest breviter jam culcita quassa volutast,
 Quam rursum sperat sternere posse cito.
 Est faba dein poculo quam sumit arabica prompta:
 Prompsit enim sucum primus Arabsque dedit;
 Sique tamen juvenis non amplius esse putetur,
 Ne nimis, at parvum vel cyathum ipse bibat.
 Estne schola vacuus? Stipendia jure meretur,
 Completis annis, nemini et ipse subest?
 Servus adhuc teneatur ei qui desidiam odit
 Quique manu mittit, non generosus herus,
 Serius, ille Labor, mens quo sine languet inanis;
 Grata quidem deficit corpora lassa quies.
 Artus, itemque lacertus, enim, ne torpeat ullus,
 Machina si desit gymnica, numquid obest?
 Membra, quousque ferant viresque pedesque, leventur
 Saepius, ut fiat robore firma salus.
 Non brevis haustus eum nedum ulla aut illicit esca,
 Ni fauces arent, dira flagratve fames.
 «Est modus in rebus» valeat sententia prisca¹:
 Vini parcus enim, parcus itemque dapis.
 Jure vir iste polum peragrantis inhorret onustas
 Has epulas: vitulum, suave sinense citrum,
 Ventrilique suis vel (Mexici et ante liquamen),
 Micas, gallinae juscula, mulsa, garum...
 Mensa secunda subit: Cereris pastilla retosta;
 Prodit Avella nuces... Finis amoenus erit:
 Crustula bis mellita recens illius Hymetti
 Montis...; postremo coffea odora faba.
 Estne vir iste rudis, si talia tantaque lauta,
 Simplicитatis amans, ulla comesse neget?
 Ut stomachus valeat neu viscera tota graventur²,

1. «Est modus in rebus» = Horatiana sententia, cfr. Sat. I,106.

2. Admodum hic utile commonere videtur illius «Scholae Salernitanae (in Italia) praecepta, quae in antiquo opusculo, «Regimen salutis» inscripto, inveniuntur; haec praecipua: «Ex magna cena stomachus fit maxima poena — Ut sis nocte levis, sit tibi cena brevis.» (cap. V) — «Tu nunquam comedas, stomachum nisi noveris esse — purgatum vacuumque cibo, quem sumpseris ante.» (cap. VI).

Placat quaque die vix semel esca gulam.
 Mane, licet valido, jentaculo abhorret;
 Praestat ei nullum vesper itemque cibum.
 Prandium ei satis hoc: cum pane phaselus
 Aut cicer, aut sucus de lycopersico olens;
 Bis, ter in hebdomade est cum tubere cocta farina:
 Gallinae bis item coxa strigosa satis;
 Nilque sapore carens alias quandoque recusat.
 Cui sit vera fames mel sapita illud olus!
 Sub glacie pisces comedit sic saepe; libenter,
 Brassica si desit, lenticulasque nigras.
 Olim Baptistae (est ita!) nonne fuere Joanni
 Et locusta nigra et mel nemorense dapes? ³
 Hic, cum jam sextam se vertit Phoebus ad horam,
 Aestus hiemsve furat, grata sit alma quies.
 Pransus enim, in sella nutans caput ipse reclinat...
 Pascua laeta videt... Num bibit ante merum?
 Turris ubi primum venit horae muntium ad aures,
 Dedecet an mixtam sumere coffeam aqua?
 En vigil, ergo, suos inter versatus amicos,
 Aut consanguineos, colloquiturque libens;
 Commentariolum legit... «Acta diurna» recenset...
 Arte sui studium Musa poesis alit...
 Versiculis aliquod vixdum tamen illinit omen,
 Paene vagans oculis..., sol obit..., umbra cadit...
 Quid faciat? Ludat? Vitreum praebere figuras
 Incipit albulum; eum sat vigilemne tenet? ⁴
 Quam brevis hora ruit...! Ne minus eum allicit heros...
 Jam ne scurra quidem... Morptheo adhaeret iners!
 Nec sonus e vitrea capsula nec prodit imago...
 Ecce, die fruitus dulce cubile premit...
 Labitur interea quater hic vicesimus annus...
 Num medicus visit? «Ne medearis — ait —;
 Longius, o, tua re vera sententia aberrat...
 Obsequeris studiis, sed ratione cares!»
 Parcus enim vitam multos projecit in annos;
 Ipsa, Deo fesus, proinde beata fuit.
 Si cui vivendi bene de se suaserit auctor,
 Si meliora premant, ergo sequatur eum!

3. V. DANTES = Purg. XXII, 151 spp. MR. Ev. — 1,6: «Et erat Joannes vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus, et locustas et mel silvestre edebat.»

4. «Vitreum... albulum» = capsella televisifica.

E FLAGITIOSO POETA FACTUS

Pars hominum, dic, esse potest aliquando beata?
 Horum quisque tamen jam quctus esse potest?
 Est ergastuli inops hospes novus iste beatus!
 Paupertas inopem, proinde facitque reum!
 Heu, raro pandentur ei, quem claustra coercent,
 Ni, sapiens factus, compos eritque sui.
 En quidam damnatus, inops, scelerisque nefandi¹,
 Heu, reus, e clatris hisce diebus abest...
 Quidnam? Paenituit? Sed factus et immo poeta!
 Nunc, igitur, meruit nonne minora pati?
 Advenit en venia et reliqua est ea paena soluta;
 Civis ovans hodie, vix prope sprexit heri:
 At fuit ille scelestus homo...! An non inde redemptus?
 Sic, inter poenas, mens animusque gemunt:
 —Mores mutantur — mussant —, jam vita novetur;
 Tute, memento, rapax! Res aliena perit...!
 Tute cruore madens! Tibi adest, o, mortui imago!
 Ut probra nunc purget cogitat ille miser:
 Excolit ingenium, sapiens, vel nocte dieque.
 Prima quidem prae aliis Musa poesis adest.
 Jam prius armigerens, at nunc Heliconis alumnus,
 Carmina, quae prodit, saepe colore scatent.
 Insuper, adde bonos mores suadere sodali,
 Audax sponte ratus munus id esse suum.
 Huic nunc ergo reo quis demum parcere sumit?
 Non Themis audebit, magna nec ulla dea.
 «Legibus est Ratio potior» testatur Egestas;
 Ecce secundat eam... Rite tribunal adit...
 —Amplius in reum adhuc istum saevire velitis?
 Jam satis in tenebris ille scelesta luit!
 Claustra reclusa crepent, mittatur liber in auras,
 Libertate frui pro bonitate merens!
 Criminis ecce ego sum rea; jus revocate, ministri:
 Sic fugiat poenas quam reus ante luat²!

1. «Quidam damnatus» rapinae et homicidii crimine damnatus, dimidiatae paenae veniam Joannis Leonis, Italorum reipublicae Moderatoris, opera impetravit pro emendatis moribus nec non pro studio sui excolendi in humanis disciplinis, maxime in arte poetica, cujus exempla non pauca typis edidit.

2. Ex sententia sapientis viri Wirtz, natione helvetici, qui potius praecavendi a crimine quam damnandi causam semper tractavit. (V. Joseph Parini: Carmen «Il Bisogno»).

PEGMA SCANSORIUM *

Plaudite, vos inter date dextras, mira stupentes
 Iapeti quae gesserit hujus¹
 Temporis en genus egregium nova: si qua dolosa
 Forte tamen discrimina vobis
 Sors aliquando paret, sortem dubitetis obire?
 Phoebes oras tangere nixi,
 Jam non transvolitant homines, proh, navicula, astra?²
 Aut subeunt quas undique pontus
 Insidias condit? Per inhospita et invia terrae³
 Non reptat passimque vagantes
 Anfractus, loca speluncae vel et horrida temptant?
 Ferri, denique, nonne vaporis
 Impavidi aut vi saepe sinunt electridis omnes?⁴
 Haec intus mihi mente probabam,
 Atque foris aestiva dies fervebat in auris:
 Quisque domus herus usque fremebat
 Consilium statuendi pegma quod esset habendum:
 Nemo probat prope. Num quid at isto
 Aptum consilio magis? Ecquis spreverit illud?
 Atqui non fausta omina dicunt:
 —Numquid adhuc satis vis non electridis egit
 Funera?— Nil pavor attamen unquam⁵
 Consilium sapiens istud de jure resignet.
 Pegma, ratum, stridebit, ab imis
 Subsiliet, mox incipiet sublime levare,
 Alterna vice scandere primas
 Areolas superasque; dein subsidet ibidem,
 Unde silens se paene levavit.
 Si quis forte minus faustum, proh, cogitet, omen;
 Si timeat, male cesserit ipsi!
 Nec Genium pietate sua quadammodo placet⁶.
 Rite fide sed fretus avorum,

(*) «Pegma scansorium» = ascensore (italico sermone).

1. Iapetus, Terrae (graece: «Γῆς») filius, ipsius filii significant, ex antiquis fictis fabulis, hominum opes ad omnia constituenda idoneas.

2. Cosmonautarum audacia adumbratur.

3. Oceani nautarum audacia adumbratur.

4. Omnes adumbrantur, quicumque machinis electridis vi actis fruuntur.

5. Haec pusilli animi homines putant. Nemo tamen neget aliquid veri in ipsa eorum inesse sententia.

6. Metus quidem removendus; improbandus vero quivis vanae religionis error.

Numen Jesu, oculos per Virginis usque tueri
Optet: quae, quasi spiret ab Aede,
Fictilis, ast eademque tamen pulcherrima visu,
Custos hinc sit pegmatis alma ⁷.
Forsitan, hic, si quis quaerat de me quid opiner:
Nullus me pavor occupat, hercle! ⁸
Cursu versetur sursus brevior, deorsum,
Intortos duro chalybe ista
Juxta funiculos rapide, vi electricis acta
Cellula; dum mihi crura, lacerti
Articulos faciles habeant, pede scandere malim:
Viribus ipse meisque videbor —
Id num pegma potest? — sublime attingere caelum.
Sic videar, levioribus actus
Hinc pedibus, simul et terrestria cuncta relinquens,
Altisonans magis edere carmen.

7. Deo providenti ac Virgini Mariae opitulanti confidant homines oportet.
8. Rhetorice dictum putetur, ut infra liquet.

INARIMES INSULAE EX PAMPINEA VITE ¹

Densis non epulis puer ²
 Quae jam Romuleae miscuit inclitae
 Proli caecuba nec mera ³,
 Quae somnis placidis lumina condiunt.
 Misisti mihi; consulis
 Illius veteris nec pice condita ⁴
 Injussu; sed in aurea
 Praelo jam domitas Inarime insula
 Uvas, quas radiis coquit
 Phoebus, coccineo murice et illinit ⁵.
 Frater, nunc tibi gratias
 Quas dignas referam, sedule, munere?
 Numquid tu sapientius,
 Aeger cum fuerim, sic poteras, meas
 Ut mensas potius cadis
 Jucundis oneres quam medicas manus
 Praestes? Nec mihi servient
 Curas ut relevent, somnia nec ferant;
 Musae sed comiti mihi,
 Etsi non merito, carminis ut furor
 Flagret jam vehementior:
 Omnino tua sic pocula servient.
 Rugas et capitis nives
 Spumans at cyathus num rapiat capax?
 Vitae me fugiat nihil;
 Prorsus non animus deficiat mero!

Prof. JANUARIUS MARINELLI
 Via Salvator Rosa, 241
 NEAPOLI (in Italia)

1. Gratiarum actiones fratri medico pro donato vino. (Carmen asclepiadeum IV). «Inarime» = Tyrreni maris insula, apud Italiae oras, vulgo potius «Aenaria» aut «Pithecusa» ab auctoribus latinis dicta.

2. «Puer» = qui convivis ministrabat.

3. «Caecubum» = Vinum praeter cetera praeclarum, in Latii agris apud Caietam cultum.

4. «Consulis... veteris» = Ad vetustatem vini indicandam, consulis nomen notabatur, cujus aetate idem vinum conditum erat.

5. «Coccineo murice» = Quoddam conchylium, ex quo purpureus extrahebatur color.

QUID EX SCRIPTORIBUS ET COMMENTARIIS SUPERIORUM AETATUM INFERRE POSSIMUS AD CONFICIENDUM LEXICON RECENTIS LATINITATIS

In Congressibus, qui de «vita linguae latinae instauranda» ac de «lingua litterisque latinis inter omnes gentes fovendis» ab anno 1956 ad 1970 habiti sunt, quaestio de vocibus novandis breviter aut diffuse semper agitata est. Congressus tamen ille anno 1966 Romae coactus praecipuus fuit in quo haec res uberius et altius investigata est. Ibi, rationes, quibus novae res in latinum converti possunt, diversis quidam viis temptatae sunt atque explicatae (cfr. *Acta omnium gentium ac nationum conventus latinis litteris linguaeque fovendis*, Romae 1968, pp. 299-364). Nos ipsi normas et principia deduximus ac locos seu exempla praesertim ex recentissimis scriptoribus in medium protulimus (*Ibid.*, pp. 318-346): e quibus consectaria ad recte componenda et usurpanda nova vocabula latina consequuntur. Ne autem a recta via deflecteremus, in intimam linguae latinae structuram et vocabulorum historiam incubuimus, inquirentes non tantum id quod lingua ex sua ipsius natura afferre possit, sed etiam quid veteres scriptores et humanistae et recentissimi de novandis vocabulis senserint et quam insecuti sint agendi viam.

Pernotum est exeunte saeculo XIX et hoc, quo divina providentia vivimus XX, omnes artes ac disciplinas, res technicas ac vulgares mirum in modum progressus fecisse: cum autem tot novis rebus nomen imponi necesse esset, etiam in lingua latina de novis verbis effingendis rebusque nominandis conatus et experimenta tentata sunt.

Cum autem non defuerint viri eruditi atque lingua latina docti qui in commentariis lingua latina scriptis eventus historicos rettulerint multosque nostrae aetatis nuntios latine expresserint aut de novis inventis scite disseruerint, propositum nobis fuit ea vocabula, quibus res novas significaverunt, ex ipsorum scriptorum verbis sumere et in schedis exscribere. Quo non tantum vocabula in promptu esse possint quam plurima, sed etiam viris doctis plane pateret haud pauca quae nos perdiligentes in praesentia conquirimus aut quae hinc inde propositis quaesitis datisque responsis per litteras et scripta disceptamus, proxima superiore aetate ac nostra ab aliis tractata esse et usurpata.

Vos tamen in his exponendis diutius non morabor: amplissimus ante nos patet investigationis campus: quem contrahere oportet nam neque tempus neque vires ad tantam rem aggrediendam suppetunt. Fateor me in initio investigationis esse, sed ex suscepto labore prae-fulgens in hunc novorum verborum campum lux jam profunditur.

Rem igitur contrahamus:

1. ad commentarios seu ephemerides, praesertim superioris aetatis, et ad scriptores qui in novis verbis efficiendis maxime conspicui sunt;

2. ad normas quas sequi videntur scriptores qui res novas latine exprimunt: eaeque normae ut potissima principia in verbis faciendis haberi possunt;

3. ad nonnulla vocabula quae in locis horum scriptorum inveniuntur: quae nobis exemplo esse possint in novissimis rebus latine appellandis¹;

4. conclusiones seu consectoria deducemus.

I. COMMENTARII ET SCRIPTORES

Commentarii praecipui et scriptores e quibus nova verba sumuntur:

1. *Vox Urbis* 'de litteris ac bonis artibus commentarius': prodiit Romae bis in mense, et postea semel, ab anno 1898 ad a. 1914. Ex scriptis efficitur viros fuisse qui in ea materia quam tractabant maxime versati erant ac linguam latinam magna facilitate adhibebant, in iis H. Vecchi di Pieralice et Iosephus Fornari eminent.

2. *Alma Roma*: ab anno 1914 ad 1942 singulis mensibus vulgatur: in ea de novis verbis latinis saepius inter socios per litteras disputatur: proponuntur nova vocabula, quae ab aliis aut probantur aut altius expenduntur aut meliora procuduntur. In scriptoribus Iosephus Fornari, moderator commentarii, praestat: qui ponderato iudicio mediam sequitur viam; disceptationi dat locum; optimorum tamen auctorum conformatus doctrina linguarum romanicarum reicit barbarismos, novitatibus summa invigilat prudentia, a verbis mediae aetatis abstinendum hortatur. Severior in re tractanda aliquando apparet.

1. Tamen quae referimus vocabula non omnia plane probamus. In prima tantum sumus investigationis statione; summam totius rei componere ac de omnibus sententiam proferre in aliud tempus differre necesse est, cum scriptorum loci uberiores erunt et eorum sententiae clariores.

In praecipuis scriptoribus recensentur:

Emm. Jové C. M. F., Hispanus: qui nitida semper scribit lingua latina; quandam assecutus est facultatem nova verba fabricandi; res prudenter tangit; nomina, quae proponit, plerumque probanda sunt.

Andreas Haberl S. V. D. —qui et *Avenarius*—, Germanus: facilis et expeditus ad scribendum; qua lingua germanica utitur facilitate verba componendi eandem in latinam saepissime transfert. Multa scite fingit verba; alia iterum expendantur oportet, pauca fortasse reiciantur.

Josephus Holzer —qui interdum *Xylander* dicitur— Germanus: qui in eadem constat causa et sententia eandemque sequitur viam ac P. Avenarius. Ipse, re impensius deliberata, aliquando proposita a se olim verba abicienda hortatur, et meliora, a se vel aliis reperia, inducenda.

H. Iacobelli: Italus: pauca sed optima proponit vocabula.

Jacobus Tasset, Gallus: duriuscula utitur lingua latina, qua et obscurus interdum fit.

3. *Societas Latina*: mense octobri anno 1932 edi coepta est, et a. 1955 exstinguitur. Moderatorum proposita omnibus patent: linguam latinam ejusque usum excitare atque rerum recentium componere vocabularium: cujus voces a sociis et legentibus ponderantur, investigantur, disputantur. Inter omnes praestat Georgius Lurz, negotiorum moderator, qui facili ac nitida utitur latinitate, grammaticorum subtilitates in scribendo parum curat; normas edit quas docti viri in fingendis vocibus sequantur: in quibus se ipse exhibet in cogitando prudens, in re agenda quodam aequilibrio ornatus; tamen quae principiis docet, ex ipsa rei natura, difficiliter in actu exsequitur. Aliud profecto est rem in ipsa notione et in suis generalibus principiis inspicere, aliud vero ad exitum deducere. Clariora sunt principia, in his autem applicandis nimium in deteriora et parum latina nonnumquam delabi videtur.

Alii scriptores: Jos. Holzer et Joannes Lis: qui suis scriptis, admonitionibus, consiliis saepe *Societatem Latinam* illustrarunt ac probe direxerunt. Joannes autem Lis in verbis faciendis moderatior videtur.

G. A. Padberg-Drenkpol, qui principia a G. Lurz proposita quibusdam adjectis normis complere vult. Attamen in his normis et consectoriis admodum nimis progreditur: nam technica et vulgata verba —id est quae adhibent technici atque scriptores vulgato sermone— interdum nomine ipso differunt; neque ex linguis romanis aliisque vernaculis, neque ex aetate media, neque tandem ex Graecis multa

sine justo iudicio et discrimine sumere possumus. In his autem, de sententia nostra, graviter errat (cfr. *Soc. Lat.*, 7(1939)45-49).

Sunt et alii de lingua latina commentarii qui impenso moderatorum ac sociorum studio etiam nunc eduntur: in his sunt:

Palaestra Latina —Caesaraugustae, in Hispania— ab anno 1930,

Latinitas —in Urbe Vaticana— ab a. 1953,

Vita Latina —Avennionae, in Gallis— ab a. 1957,

Vox Latina —Ottobruni, in Germania— ab a. 1965:

in quibus res nostra de fingendis et inducendis novis vocibus saepe numero incidit.

Habetis ad manus exemplaria, scriptores haud pauci in his sedibus vobis assident, eorum legistis lucubrationes.

Neque ego ultra progrediar, neque plura de his commentariis subiciam verba, cum plurimae schedae nondum exscriptae sint, et priores commentarii copiosam nobis materiam praebeant; pauca tamen exempla ex commentariis qui nunc eduntur et ex aliis scriptoribus sumam.

II. — NORMAE QUAS LAUDATI SCRIPTORES IN NOVIS VERBIS FINGENDIS SEQUI VIDENTUR

Mens erat principia —quae a Georgio Lurz promulgata sunt ad lexicon novarum vocum parandum (cfr. *Soc. Lat.*, 4(1936)50-53) et quae ab aliis praestantissimis viris aut addita (cfr. *Ibid.*, 7(1939)45-49) aut iterum exposita et declarata (cfr. PACITTI, *Premier Congrès international pour le latin vivant*, Avignon 1956, pp. 66-80; C. EGGER, *Ibid.*, pp. 134-136; J. MIR, *Ibid.*, pp. 123-125; *Helvetica*, 18 (1954)169; *2ème Congrès intern. pour le latin vivant*, pp. 132-137; *Palaestra Lat.*, 29(1959)202-208)— in medium afferre, explicare, expendere. Haec profecto paraveram; attamen in re declaranda et dijudicanda longissima nobis esset via percurrenda. Rem igitur, posthabita omni disputatione, in aliam constitui deducere viam quae aptius cum nostra dissertatione congruat. Normas non aliunde petendas, sed ex ipsis scriptorum locis, propositis exemplis, deducendas censi.

Itaque: comperimus scriptores, dum novas voces latinas fingunt, haec prae oculis habere:

1. intimam linguae latinae indolem ejusque virtutes; et ideo:
 - a) leges componendi et derivandi —quas etymologi et grammatici explicant— accurate servant.

Quae tamen non semper sufficiunt: nam, etiam si elementa vocabulorum exstent convenientia, aliquando voces idoneae effici nequeunt.

Ideo: reiciendae sunt:	probandae:
bricettum [: <i>carbones compressi</i> Soc. Lat., 5(1937)98; <i>laterculus carbonicus</i> , Ibid., p. 37],	calefactio, Soc. Lat., 10(1942)55, refrigeratio, <i>infra</i> , 10,
parapluvia [: <i>tutamentum pluviaticum</i> , Soc. Lat., 5(1937)22,1 :«umbraculum, umbella»],	calorifer, <i>infra</i> 36 [<i>Nova v. Latina</i> , p. 86, n. 25: <i>caloriferum</i>],
glaciarius [: <i>moles glacialis</i> , Ibid. 6(1938)18. — P. Jové: <i>glaciar, aris</i> , A. Roma, 19(1932)82],	flammiferum, V.U. 2(1899) n. 7, p. 55, c. 3. ^a ,
locomotiva [: <i>vaporiveha, vaporitrahaha</i> , V. U. 5(1902)6,c. 1. ^a , 2],	decidiculum, <i>Candidat. Lat.</i> , 2 (1929)36; <i>Pal. Lat.</i> , 22(1952)156,
nicoturium [«pipa»: V. U., 5(1902) 70, c. 3. ^a ; 4; Ibid., p. 71, c.1. ^a ; 2; <i>Nova v. Lat.</i> : <i>fumariolum</i>],	aequorari, <i>Alma R.</i> , 13(1926)96, submarinus, V. U. 2(1899) n. 3, operc. int., p. 2. ^a ,
bilancia [: <i>ratio acceptorum et datorum</i> , Soc. Lat., 15(1937)337,	ferrivia, <i>infra</i> , 116,
sciis [:«ski»: <i>calceus nivalis</i> , Soc. Lat., 5(1937)22],	vaporitrahaha, <i>infra</i> , 117,
	fumisugium, Soc. Lat., 8(1940)156; <i>Pal. Lat.</i> , 30(1960)156,
	operistitium, Soc. Lat., 5(1937)33,
	luticipulum, <i>Pal. Lat.</i> , 30(1960)218,
	inductorium, PEXENFELDER, <i>Apparatus eruditionis</i> , t. I, p. 22.

b) Romani in res praesentes — quae materia constant et concretae dicuntur— procliviores fuerunt. Progrediente tempore, praesertim ex religione christiana et aetate media, lingua in abstractionem amplius processit. Hac nostra aetate ratio concipiendi atque scriptores sese exprimendi in abstrusa tendit abstracta, quae difficillime lingua latina recepit. Itaque quam plurimas locutiones abstractas alia ratione exprimunt scriptores recentiores, si a recta via deflectere nolunt; neque id paupertati linguae, ut plurimum,tribuendum est, sed linguae latinae indoli quae hanc loquendi rationem reicit. Abstracta tamen in rebus technicis necessario usurpandae sunt:

constructio atomorum, Soc. Lat., 9(1941)69,
status aggregationis, Ibid., p. 69,
dispersio lucis, Ibid., p. 69,
elasticitas flexionis, Ibid., 69,
refractio, Ibid., p. 70,
punctum congelationis, Ibid.,

calectio, *infra*, 23, 34,
carbonizatio, *infra*, 24,
actio lucis, *infra*, 40,
lucis potentia, *infra*, 42.
collustratio electrica, *infra*, 59,
expositio, *infra*, 77,
dissolutio, *infra*, 85,
aëronavigatio, *infra*, 113,
effectus acidae reactionis, *Alma. R.*, 13(1926)39, c. 1.^a, 2,
theoria relativitatis, *Soc. Lat.*, 8(1940)15,2,
ionizatio, *V. U.* 5(1902), n. 11, 87, c. 3,4.

Sunt autem abstracta quae alia ratione necessario in latinum ver-
 ti debent; en aliqua exempla:

disarmo: 'conventio de *deponendis armis*', *Alma R.*, 10(1923)9, c. 1.^a,4,
de armis imminuendis, *Ibid.*, 9(1922)141, c. 1.^a,2,
pro bellico apparatu minuendo, *V. U.* 2(1899) n. 7,
 operc. int. p. 2.^a,

corsa all'armamento: 'a *comparandis armis*', *V. U.* 2(1899) n. 1, p. 1.^a;

concretezza: 'ratio definita (et singularis)';

l'educazione deve avere un "indirizzo"

eminentermente pastorale: 'institutio in prospectum maxime pasto-
 ralem dirigatur oportet';

il Vangelo compie una funzione di menta-

lizzazioe: 'Evangelium vim habet mentem regendi (quae mentem
 regat)'

personalità giuridica: 'qualitas (proprietas) personae legalis'

pianificazione di persone e mezzi: 'adumbrata personarum et subsi-
 diorum digestio (descriptio)'².

c) Vocabula latina in universum *transparentia* sunt, minime vero
opaca, id est, ut volunt recentissimi etymologi et semantici, rei ex-
 plicationem in se plerumque continent: quod non tantum veterum
 Romanorum lexico comprobatur, sed et novis nuper factis verbis:

pedi - ludium, *Vita Latina*, n. 42, 1971, pp. 23-28, n. 43, pp. 22-28,

luti - cipulum, *Pal. Lat.*, 30(1960)218,

fumi - sugium, *Soc. Lat.*, 8(1940),25,5,

ferri - via, *infra*, 116,

aëro - planum, *Latinitas*, 15(1967) pp. 117-122,

2. De his scribendi rationibus cfr. quae A. Bacci, Card., et H. Tondini
 in Actis Congressus Romani (1966) referunt: pp. 299-310; 347-356.

torpedo, V. U. 2 (1899) n. 3, p. 24,
sub - marinus, V. U. 2(1899) n. 3, operc. int. p. 2.^a,
navis loricata, V. U. 2(1899) n. 6, operc. int., p. 2.^a; 5(190'')19,c. 3.^a 4,
pulvis pyrius, *infra*, 104,
index venti, *infra*, 1,
receptor fulminum, *infra*, 3.

Omnia vocabula quae *infra* (cfr. *exempla*: III pars) proponuntur, paucis demptis, transparentia sunt, id est expeditissime explicantur ex verborum compositione et structura.

2. Voces ex analogia componunt recentiores, ut veteres fecerunt:

a) ex legibus phoneticae et morphologiae similia efficiunt vocabula:

tabacinus, Soc. Lat., 7(1939)45; Pal. Lat.,
nicotianus, V. U., 5(1902)70, c. 3.^a, 1,
submarina navicula, Soc. Lat., 11(1943)7,
transatlanticus, V. U., 2(1899), n. 6, p. 45,
gasi-ficare, *infra*, 37,
gas-alis, *infra*, 37,
carbon-icus, *infra*, 32,
radiaculum, Alma R., 12(1925)67,
fulmini-vörum, *fulmin-ar*, Alma R., 11(1924)174; 12(1925)67,
tendi-culum (: *muelle - molla*), *Ibid.*, 25(1938)176,
suscit-abulum, *Ibid.*, 19(1932)15, c. 1.^a,
glaciar, *aris*, *Ibid.*, 19(1932) 82, c. 2.^a,
auricul-are, *Ibid.*, 17(1930)8, c. 2.^a,
super-calcei, Soc. Lat., 10(1942)63, 3,
turris campan-aria, *campanarium*, *infra*, 18, 19,
inter-nation-alis, V. U., 2(1899) n. 3, 19; Soc. Lat., 4(1936)53,2,

b) Ex analogia quoque vocem a propria significatione in aliam ex rei similitudine deflectunt:

lens objectiva, *infra*, 97,
granata, Soc. Lat., 11(1943)6,5; Cfr. WOLFFIUS, *Compendium elementorum matheseos univ.*, II, p. 148, 39,
torpedo, V. U., 2(1899) n. 3, p. 24,
pirula («lampas electrica»: ex piri figura), Alma R. 12(1925)67,
pila incendiaria, Soc. Lat., 11(1943)7,
satelles, *infra*, 22,

glans (: *bala* - *pallotola*), *WOLFFIUS, Compendium...*, II, 145, 31,
cellula (in corpore), *V. U.*, 5(1902)39, c. 1.^a 4,
catulus (in sclopeto), *Soc. Lat.*, 8(1940)28,
ligula, infra, 112,
phiala (ampullula quae medicamentum continet), *V. U.*, 5(1902)39,
 c. 1.^a, 2,
grus (*grúa* - *gru*), *Soc. Lat.*, 18(1952)13,
cistellula (*papelera* - *cestino*), *V. U.*, 1(1898) n. 2, p. 16,

c) Notio et vox sumitur ex nostris linguis et eadem notio in latinum ex intimo sensu convertitur:

pedi-ludium foot-ball,
luti-cipulum guarda-barros, para-fango, garde-boue,
aëro-planum aëro-plano, aero-plano,
ferri-via ferro-carril, ferro-via, chemin de fer, Eisen-bahn,
fulmini-vorum, fulminar para-rayos, para-fulmine
radiatorium radiador, radiatore,
suscitabulum despertador, sveglia

3. Recentissimi scriptores, prae oculis habita *etymologia*, nova fabricantur vocabula:

a) *cibi - fer Pal. Lat.*, 35(1965)59, 62,
trit - abulum Latinitas, 13(1965)4,
agit - abulum Ibid., 13(1965), 14,
*sugit - abulum BACCI, Lexicon*⁴, s. v. *poppatoio*; cfr. tamen *Vita Lat.*,
 n. 43, m. maio 1971, p. 28, adn. 1,
carbon - eum infra, 30,
schedi - nummia (tessera) *Alma R.*, 14(1927)49: *schedinummus*:
Nova v. Lat. p. 115, n. 17,
aequor - ari Alma R., 13(1926)96:... «*Aequor*... interdum dicitur de
 planitie terrae seu agrorum, saepius de mari. *Aequorari* igitur vo-
 cabulum mihi sonat quasi: «ad planitiem terrae seu agrorum» et
 magis «ad mare se recipere».
sclopus, sclopetum, sclopet - ari infra, 106-107.
suscit - abulum (: *despertador - sveglia*) *Alma R.*, 19(1932)15,
auricul - are Alma R., 17(1930)8 (instrumentum quod auribus aptatur
 eoque audimus).

b) Scriptores primigeniam vocis significationem in alium novum recentemque sensum, primum technicum deinde vulgatum, deducunt:

pila (cipris) *infra*, 6 - 63,
gradus caloris *infra*, 13,

<i>satelles</i>	<i>infra</i> , 22,
<i>lucis potentia</i>	<i>infra</i> , 42,
<i>radiationes ultraviolaceae</i>	<i>infra</i> , 44,
<i>fluxus electricus</i>	<i>infra</i> , 58,
<i>conductor</i>	<i>infra</i> , 61,
<i>radii X</i>	<i>infra</i> , 75,
<i>obicere luci</i>	<i>infra</i> , 76,
<i>expositio</i>	<i>infra</i> , 77,
<i>imago (photographica)</i>	<i>infra</i> , 79,
<i>imago positiva, i. negativa</i>	<i>infra</i> , 79,
<i>dissolvere,</i>	<i>infra</i> , 84,
<i>dissolutio</i>	<i>infra</i> , 85,
<i>objectum</i>	<i>infra</i> , 86,
<i>projector</i>	<i>infra</i> , 99,
<i>agens</i>	<i>infra</i> , 100,
<i>ligula</i>	<i>infra</i> , 112,
<i>volator</i>	<i>infra</i> , 114,
<i>granum, verruca</i>	<i>infra</i> , 109,
<i>expectatio (:sala de espera, sala d'aspetto)</i>	<i>Alma R.</i> , 14(1927)49,
<i>saltatorium (:trampolín, trampolino)</i>	<i>Alma R.</i> , 15(1928)30,
<i>prospectator (turista)</i>	<i>Alma R.</i> , 14(1927)49,
<i>globus V. U.</i> , 5 (1902) n. 11, operc. int. 2, c. 2,5,	
<i>embolus</i>	<i>infra</i> , 110,
<i>injectio</i>	<i>Latinitas</i> , 3(1955)107,
<i>malleolus (:tecla - tasto)</i> ,	<i>Alma R.</i> , 24(1937)45,

c) Aliquando novus sensus ex conjunctione cum alia voce enascitur:

<i>index venti</i>	<i>infra</i> , 1,
<i>receptor fulminum</i>	<i>infra</i> , 3,
<i>aër compressus</i>	<i>infra</i> , 6,
<i>aër refrigeratus</i>	<i>infra</i> , 11,
<i>vis equi mechanici,</i>	<i>infra</i> , 7,
<i>charta rei meteorologicae</i>	<i>infra</i> , 17,
<i>turris campanaria</i>	<i>infra</i> , 18,
<i>turris speculatoria</i>	<i>infra</i> , 19,
<i>satelles planetarius</i>	<i>infra</i> , 22,
<i>carbo destillatus</i>	<i>infra</i> , 26,
<i>carbo mineralis</i>	<i>infra</i> , 28,
<i>carbo vegetalis</i>	<i>infra</i> , 29,
<i>fornax reflector</i>	<i>infra</i> , 33,

calefactio electrica *infra*, 34,
calefactio gasalis, *infra*, 35,
machina photographica, *infra*, 87,
pulvis ignitus *infra*, 104,
tormentum bellicum *infra*, 105,
ludicra equitatio (carousel) *Alma R.*, 14(1927)171,

d) Raro nomina quibus antiqui Romani usi sunt, in alium sensum quasi abripiunt et rei recens inventae imponunt:

petor(r)itum (publicum) (omnibus, torpedone) *Alma R.*, 26 (1939)66,
carracutium - pilentum *Alma R.*, *Ibid.*,
covinnus (:Limousine) *Ibid.*, p. 65,
cisium (:Sportwagen) *Ibid.*, p. 66,
rheda (:torpedone) *Ibid.*, p. 66,
arcera (:ambulancia, ambulanza) *Ibid.*, p. 66.

Sed cum agitur de re singulari et definita, quae antiquis Romanis erat propria —aut in superioribus vocibus— maxima enascitur difficultas in his verbis transferendis et in sensum rei nostrae aetatis deflectendis. Id sane illustre fit ac perspectum legenti quae cl. vir Jos. Fornari argumentatur cum superiora Romanorum vocabula nostris vehiculis aptare vult (cfr. *Alma R.*, 26(1939)65-66) et cum illud *essedum* Belgarum in sensum nostri *tank (tanque)* deflectendum magno impetu improbat (*Alma R.*, 24(1937)44-45; 19(1932)172-73). Argumenta quae affert rem non prorsus illustrant; nam cum haec verba nobis omnino opaca facta sint, id est sensu omnino careant, si iterum vita donentur, quodcumque vehiculum significare poterunt quod haec nostra aetas et hominum arbitrium decernat. Rectius igitur ne e dormitione sua haec vocabula suscitentur.

e) interdum vero transferunt et accommodant sensum quadam habita etymologiae ratione aut evolutionis sensus:

laconicum *Candidatus Lat.*, 1(1928)7; 21,
embolus *infra*, 110,
modulus *infra*, 111,
ligula *infra*, 112,
catulus *Soc. Lat.*, 8(1940)28,
tramen *Pal. Lat.*, 6(1936)91; 34(1964)253; *Nova v. Latina*, p. 176-78.

f) Plerumque tamen novam effigunt vocem:

gasum, gasosus, gasalis, antigasalis, gasificare *infra*, 37,
projector(ium) *infra*, 99,

objectivum *infra*, 97,
pediludium *Vita Latina*, n. 42(1971)23-28; n. 43(1971)22-28.
protendiculum (*chiudiporta*) *Alma R.*, 15(1928)30,
saltatorium (*trampolin*) *Ibid.*,
flexorium (*manillar, guidon, manubrio*) *Alma R.*, 16(1929)152,
scoparium (*locus in quo scopae servantur*) *Ibid.*

IV. DE VOCIBUS PEREGRINIS SEU EXTERIS

Hic est profecto totius rei omnium implicatissimus nodus —ut olim dixeram— in hac quaestione enucleanda et exsolvenda: ex vocibus peregrinis quae a civibus omnium nationum perpetuo componuntur et in usum inducuntur —sive quae ad artes et disciplinas, sive quae ad ludicra et communicationis socialis instrumenta, sive quae ad cottidiana et domestica utensilia, sive quae ad machinas omne genus, sive ad tot rerum inventa publica et privata— quaenam in sermonem latinum admitti possunt?

Non una sane scriptorum sententia: alii enim amplissimam sternere volunt viam ita ut voces quae fere in omnium civium ore versantur et internationales dici possunt, in linguam latinam necessario adscisci debeant: idque, inquiunt, necessitate quadam constricti facimus et exemplum secuti multarum linguarum quae ex exteris linguis haec in suae linguae thesaurum inferunt; alii vero severissimam insequuntur viam ita ut majestatem et puritatem linguae latinae his novitatibus nullatenus aut vix commaculari sinant; alii tandem mediam sequuntur viam singulas voces maxima ponderantes prudentia, et quae vere propriae ac singulares sunt alicujus rei facilius recipiunt. In prima sententia sunt Padberg-Drenkpol, Lurz, Avenarius, et quodam modo ut videtur, Holzer et Ijsewijn; in altera Fornari, Lis et qui *Latinitatem* primum moderati sunt; in extrema vero Ildefonsus González, Emmanuel Jové, C. M. F., nos ipsi, et, ut videtur, Consilium novis vocibus fingendis apud Institutum Altioris Latinitatis nuper constitutum.

Nihil aliud de hac difficillima quaestione addam: de qua in *Palaestra Latina* 39(1959)203-208, in *Actis Congressus Romani*, pp. 337-341, in *Novis verbis latinis, Praefatio*, pp. 19-21, copiose egi.

In qua tamen exsolvenda alia nunc adicitur difficultas: quo loco habendae sunt voces aetatis mediae? Quae porta si aperiatur, multa nova verba, interdum perperam conficta, renascentur; alia vero opportune in latinum thesaurum inferenda videbuntur (*disportus, posita* (?), *vernicium, smaltum, flanea, ballada*...).

V. VOCABULA E FONTE GRAECO DUCTA

Scriptores in diversas quoque scinduntur sententias: quorum tamen prudentiores in re normas sequuntur quas alibi (cfr. *Acta Congressus Romani*, pp. 344-346) edidimus et strictim contrahimus:

1) Romani a Graecis, initio praesertim, multa sumpserunt vocabula.

2) Nos vocabulis graecis uti possumus et interdum debemus praesertim cum agitur de notionibus doctrinarum, de rebus technicis, de novis inventis.

3) Sed elaborandum est ut vocabula graeca verbis latinis efferramus, ipsum Ciceronem aliosque scriptores romanos imitantes qui id conati sunt.

Attamen a): id aliquando inutile prorsus est: quia verbum graecum *magis vulgatum magisque commune factum est*; aut quia *nomine tecnico (graeco) significantius res definitur et exprimitur*: retineamus

<i>stilographum</i>	pro quo J. Lis et alii volunt: <i>calamus complectivus</i>
<i>photographia</i>	<i>imago luce expressa</i>
<i>telephorum</i>	<i>translocutorium</i>
<i>telegramma</i>	
<i>telephono colloqui</i>	<i>transloqui</i>
<i>dactylographum</i>	<i>prelum manuale</i>
<i>aëroplanum</i>	<i>navis velivola, velivolans; velivolum</i>

b) At, linguam latinam nimiis novisque verbis graecis (vel neo-graecis) obscurari nullatenus patiamur. Quam sententiam secutus est G. A. Padberg-Drenkpol (cfr. *Soc. Lat.*, 7(1939)45-49): cui G. Lurz aliquatenus suffragatur; sed eidem enixe repugnant Jos. Holzer, Lis, alii. En aliqua exempla:

<i>ferrivia</i> pro qua proponitur	<i>siderodromus</i>
<i>fumisugium</i>	<i>capnosyrinx</i>
<i>athletismus nivalis</i>	<i>athletismus chionodromicus</i>
<i>follis</i> (in pediludio)	<i>podosphaera</i>
<i>pediludium</i>	<i>podosphaerisis</i>
<i>pedilusor</i>	<i>podosphaerista</i>
<i>teniludium</i>	<i>antisphaerisis</i>
<i>tramen</i>	<i>hamasxostichus</i>

Qui hanc sequuntur viam —et vocibus graecis (aut neograecis) praepropere et inconsiderate utuntur— linguam latinam captu difficilem reddunt, eamque foedant et obscurant cum ex sua indole perquam perspicua sit.

Eam potius insequamur doctrinam a J. Lis³, Jos. Holzer⁴, Jos. Isewijn⁵, Ae. Springhetti⁶ traditam qua voces graecae, quae vere necessariae non sunt, prorsus evitentur.

Nos igitur vocabula graeca accipimus, sed —ut supra dictum est (n. 2) cum agitur fere *de rebus technicis novisque inventis, aut cum vox graeca communior facta est et ideo significantior*; exempli gratia: *veriloquium* a Cicerone propositum (*Top.* 5,38) pro *etymo*, *ety-*

3. «Sicut ego aestimo, nomina nobis necessaria minime semper ex linguis romanis arcessenda esse, sed in primis a thesauro totius latinitatis, qui est fons nondum exhaustus, proficiscendum est... Tu vero tantus vocum graecarum amator esse videris, ut sermonem latinum sic quoque satis superque talibus verbis accumulatum sine justa causa onerare velis. At ego arbitrator nos rei latinae studentes decere in vocabulis novandis eam sermonis integritatem custodire, quam scriptores Romanorum semper plurimi aestimaverunt; atque adeo nostrum esse puto, quatenus fieri potest, verba graeca ex usu exterminare» (LIS, *Soc. Lat.*, 8(1940)26).

4. J. HOLZER, *Ibid.*, ubi nimiam vocum graecarum frequentiam Augusto Padberg-Drenkpol improperat.

5. J. ISEWIJN, qui in *Palaestra Latina*, 30(1960)26-27, contra eundem A. Padberg-Drenkpol ita sentit: «Nostra verum sententia non e graeco fonte voces novae detorquendae sunt ad molas sive aquarum sive ventorum vi motas latine denominandas. Etenim, *aquimolinam* vocem latinam fuisse satis demonstrat rescriptum Constantini Imperatoris circa annum 325 ad Ablabium, praefectum praetorio Orientis, de rebus Orcistanorum missum. Orcisti... commoda Imperator his verbis describit: «Ita enim ei situ adque ingenio locus esse perhibetur..., praeterea ex decursibus praterfluentium aquarum *aquimolarum* numerum copiosum...» (*Monumenta Asiae Minoris Antiqua*, VII, 305 11. 20-31).

Licet igitur nobis, Constantinarum exemplum secutis, non tantum *hydraletem* —quae vox esse videtur technica sermonis architectorum— sed etiam *aquimolinam* latine dicere. At quid ergo etiamnunc obstat quominus alterum molarum genus recentius *ventimolinam* vel etiam *ventimolam* vocemus?»

[N. B. Padberg-Drenkpol proposuerat voces graecas *hydraletes*, *hydromyla*, *hydromylus* pro latina *aquimola*; et *anemomyla*, *anemomylus* pro *molendinum ad ventum* (*venti mola*)].

6. Ae. SPRINGHETTI, *Institutiones stili latini*, Romae 1954, pp. 121-122: «Vidimus iam (n. 52) quid de hisce vocibus senserint et qua ratione iis usi sint veteres scriptores latini, praesertim Cicero, qui semper, quoad fieri poterat, ab illis usurpandis abhorruit et vel verborum ambitus vel latina verba, etsi minus definita, adhibuit.

Sine necessitate igitur, vel, si latina optima et propria dentur, sine magna utilitate (perspicuitatis, brevitatis...) non sunt usurpanda verba graeca, in cultioribus saltem latinis scriptis... Liberior erit usus vocum quae sunt in artibus et litteris propria et «technica», ideoque nota et passim usitata...»

mologia, (*notatione*) in sermonem vulgatum non penetravit; et ideo inutile est hanc vocem adhibere quamvis sit a Tullio proposita.

In proximo fasciculo sequetur III pars hujus commentarioli in qua voces proponuntur novae aut novato sensu, eisque ipsa scriptorum verba subiciuntur, quo ratio vocabulorum clarius perspicietur.

JOSEPHUS MARIA MIR, C. M. F.

In Pontificio Altioris Latinitatis Professor

Via Sacro Cuore di Maria, 5

00197 ROMA

VIR ROMANUS

Fennice scripsit
Joannes Linnankoski *
Latine reddidit
Tauno Vuori

Sicut diem hesternum memini illud tempus, quo ante oculos meos vidi te, vir romane.

Ver erat tum, oliva florebat, uvaque frondes emittebat humanis civibus tepidarum regionum australium.

Ego autem, vir regionum septentrionalium, veni per urbes vectus ingentes mediae Europae, ubi nervi uniuscujusque hominis intenti erant vi quasi humani cultus electrica, atque, ut ita dicam, nimia doctrina saeculi post Christum natum vicesimi.

At ego quidem, cui idem ille strepitus urbium maximarum in venis meis et nervis sonabat, per noctem verni temporis velociter provehebar ad rus tranquillum inferioris Galliae.

* *Ioannes* (Johannes) *Linnankoski* (ab a. MDCCCLXIX ad MCMXIII) fuit unus ex maximis scriptoribus Fennicis ineunte hoc saeculo. Praeter opera majora etiam minora sunt multa inter ejus scripta elegantia, quibus nomen dedit «assularum». Haec est una ex iis, quas in itinere per Europam anno MCMVIII facto composuit. Sed ut facile perspicitur, commentarium nimio ardore est scriptum nimisque verbis auctum, ejus generis quod graece «panegyricos logos» appellatur. Illae autem res, de quibus Linnankoski tam ardentem narrat, non tantum in repentino aut fluxo quodam animi motu sunt positae, nam etiam in quibusdam epistulis, quas domum et amicis suis misit, et pulchritudinem illam feminarum regionis Arelatis et opera magna virorum Romanorum antiquorum laudabat. Ita duas illas res, et venustatem feminarum et virtutem virorum, tamquam inter se feliciter complentes, effingit scriptor. Ceterum Linnankoski in libris suis majoribus ita saepe res tractat, ut quid boni aut mali in natura hominum videat, haec inter se certantes facit, semperque, ut ingenio ejus proprium fuit, bonos homines vincentes. Sed ante omnia, sicut in exitu hujus «assulae», laudes hominum laboriosorum studiose celebrabat, ac talem virum ipse quoque Linnankoski per omnem vitam se praestitit. — Elegancia autem dicendi ex alia lingua in aliam non facile traditur. Itaque mihi quoque concedendum est, me orationem prope poeticam, qua arte Linnankoski singulari excellit, hac translatione nequaquam aequiperavisse. — Hoc scriptum Fennicum saepe discipulis meis recitavi, postquam Caesaris Commentariorum de bello Gallico librum IV in schola perlegimus.

Tum surrexisti tu, vir romane, ante me quasi ex sepulcro post multa saecula, atque processisti tamquam monstrum aut numen, quod fama fertur esse, quod autem numquam videram.

* * *

Hoc mihi accidit eo die.

Amoenum aperuit se oppidulum Provinciale in splendore solis matutini nitens ante oculos meos, cum ego, peregrinus, ad ejus vias foraque cursum direxi.

Atque apud tabernam assedi, sicut mos est peregrinorum, ad turbam strepentem hominum praetervehentium spectandam, quae, aequae atque ejus negotia, mihi externa erat.

Dulcissima es, femina Provincialis, namque excelsa es sicut regina, cum tua coma eleganter composita sit cumque stola decore sinuata, neque dicere possum utrum vincat splendor ex oculis tuis an radius solis!

Neque de te quidem, vir Provincialis, quicquam minus dicere velim, namque alacer es atque humanitas cum auctoritate te decorat.

Totam horam matutinam sic omnia circumspexi — oppidanos in negotiis, rusticos, qui tranquilli in curribus ab asinis vectis domum redibant, viros nobiles et opifices, homines adultos et liberos.

Atque ego ad mensam eorum assedi, alacritate eorum laetatus, atque decore et observantia, quae unumquemque motum manuum eorum ornabat.

Deinde ad campos, ubi ludere solebant, eos consecutus sum admirans, quanta laetitia totus hortus sonaret, quanto ardore viri adulti pilam certantes jactarent cum pueris et quam flexiles juvenes quamque decorae virgines inter se certarent, lenibus rhythmis illius saltus ordinati, cui nomen est farandole.

Felix es, popule — sic mecum reputavi civis regionum tenebrosarum — namque gaudere scis et vitam tuam sic constituisti, ut qui vos juxta spectat, nesciat, ubi labor vester finiatur, ubi ludus incipiat.

* * *

Tum ante me processisti, vir romane.

Paucis tantum viis urbis hodiernis spatatus, tota mente oculisque turbā hominum fluctuque quodam negotiorum adhuc delectatus sum.

Tum in flexu quodam viae pars atri muri ante me adstitit.

Ex sepulcro se erexit umbra, atque ex umeris ejus ingentibus et ex cicatricibus praeteritorum temporum intellexi monstrum illud nequaquam aequale esse nostris neque dierum recentium neque mollium manuum opus nostrae aetatis virorum.

Libellum, qui dux viae mihi erat, ex sinu tunicae eripui. Ecce inter nos spectabamus cum adstabam ante te, vir romane!

Caesarem ipsum his viis quondam processisse comperi atque fremitum graduum ejus legionum hoc solum concussisse.

Ardor furentem me capit, quo propius ad te veniam.

Juxta murum tuum propero tantum spatium, quantum oculis conspici potest, ac nunc intellego tete fuisse gigantem et saxa rupesque in manibus tuis calculi tantum ludorum fuisse.

Deinde protinus proruo in mediam urbem. Et quamquam tua ratio aedificandi et litteris et figuris excelsae fertur fama, nunc, nihilo minus, cum ante muros immanes amphitheatri tui adsto, in arena patenti, in area rotunda, subselliis decem milium spectatorum circumdata, intellego te fama tua majorem fuisse tuasque voluptates artesque gigantum fuisse, non hominum.

Protinus propero modo huc modo illuc et iterum iterumque convenio te cum tuis parietibus lapideis, cum muris tuis et portis, cum columnis tuis et arcibus. Gradibus ego premo viae silices, in quibus multa hominum genera per saecula posteriora vix graduum suorum sulcos reliquerunt.

Atque dum denuo urbem specto ex ejus altissimo loco homines illi, quorum visus et negotia modo me delectabant, viri feminaeque Provinciales, omnes nunc ante oculos meos deminuuntur: tamquam pumiliones in tutela tuorum ingentium murorum nostris temporibus vivere videntur.

Magna tum cupiditate rapior ex finibus urbis proficiscendi, namque me nondum omnia vidisse arbitror.

Atque gradibus nunc via feror, aequae lata ac latissima via nostrorum temporum, via plana, via aeterna, dente edaci temporis intacta. Atque quo longius progredior, eo mirabilior ea mihi apparet. Recta procedit via, plana prosequitur, atque post breve temporis spatium animadverto memet procedere super aedificio, duplici fornice instructo, quorum alter alterum suffulcit, quod olim aqua deducebatur. In summa convalle progredior ad vicos rusticos. Interdum consisto atque multitudinem miror saxorum innumerabilium, quae tu, vir romane, huc ferri jussisti.

Atque dum, me admirante, ibi procedunt brevibus gradibus quidam asini miselli cum dominis suis subridentibus, atque dum gradus celeres levesque eorum et aquaeductus tuos simul video eosque inter se comparo hac via progrediens, quae est quasi via deorum ad immortalitatem, tum nescio quid mihi oporteat, flere an ridere, quia perspicio te has vias non ad tramites asinorum exiguae vituli magnitudinis instruxisse, sed quod consilia multo longius pertinentia pulsum tuarum venarum agitaverunt.

Atque ut haec consilia tua in animum meum accipiam, deorsum in vallem despicio.

Novus ibi visus mihi patet. Tamquam anguis dorso argenteo cingulum quoddam fluentis aquae serpit vallem scindens. Neque verus est fluvius, sed opus manuum humanarum: namque procul amnem video largo ex latere aquam fluminis Rhodani sugere eundemque aliorsum abire ex conspectu.

Et jam praesentio arcana tui anguis argentei, atque dum ad vallem descendo, video ibi innumerabiles fossas tamquam venas, quibus agri circumjacentes quondam irrigati madefactique sunt, ex hoc flumine deductas ad campi latissimi latera cursum dirigere.

Sed rivi vacui sunt, fossae obstructae, atque valvae, quae ad agros irrigandos fuerunt destinatae, sublatae ibi jacent robiginosae, atque campus sitiens exclamat labris siccis: quo abiisti, vir romane!

Neque temperare mihi possum, quin haec omnia diutius spectem, atque dum retrorsum rediens puellam quandam mitem convenio duas capellas custodientem in hoc lato campo, tum sanguis mihi prope effervescit ac paene severe eam comiter salutantem resaluto.

Atque in venis meis sentio ardorem quem cognatum puto esse ignis illius, qui ante duo milia annorum in tua ardebat mente, vir romane; prope currens procedo super cacumen collis in latere campi existentis, ut omnia illa, quae tua opera facta sunt, comperiam atque ut sentiam, quid tibi tum in animo fuerit, cum ferreis manibus opus in Gallia aggressus es.

Quae omnia nunc credo me intellegere.

Fingo tum mente hoc videre: tete legionibus tuis imperare, ut in hanc vallem progrediant, in supremo collis cacumine a te aquilam erigi, te securibus gladiisque dimicare cum Gallicis gentibus.

Gladio vero primo tantum die usus es, quam jam tertio in vaginam recondis et in altum erigis tuas veras aquilas, alites illas laboris et cultus humanitatisque.

Quae cum omnia video et oculis capto alta limina hortorum, quibus montium convalles decoravisti, tum intellego te in hac valle Galliae locum amoenissimum creare voluisse atque jam animo tuo haec vidisse: segetes spicas ferentes in pristinis paludibus tamquam undas vento agitas, pecorum cornigerorum multa milia in celso gramine pascentia, frumenta carnesque abunde allata per tuas vias ad usum hominum, ad deorum cultum.

Nunc perspicio adventum tuum eum attulisse progressum, quem gens humana numquam viderit, atque consilium tuum, cum orbem terrarum sub potestatem tuam redegisti, non tam gladio valuisse quam labore et negotio.

Atque dum pedetemptim de clivo descendo, facere non possum, quin quosdam hodiernos terrarum dominos recorder et quaeram, ubinam nunc sint illae viae pontesque, illi horti et illa instrumenta agros irrigantia aut ille ardor ad omnem progressum, quibus ii cultum atque humanitatem populorum, quorum agros occupaverunt, se provehere edixerunt.

Ac facere nequeo, quin hoc mecum reputem: homines nos inertes et desidiosos esse gentem humanam hodiernam; a te solo aliquid aeterni creatum esse, quod in usum futuri temporis maneret.

* * *

Dum haec reputo, sol jam statutum iter peregit et ultimis radiis clivorum cacumina inaurat, cum in urbem redeo — eadem via Romana, aequae firma ac prior erat.

In ea via, in latere urbis, etiam nunc aliquid, quod intentionem meam excitat, video.

Quasi piam tranquillitatem aeternitatis sentio vesperi, dum angiportui cuidam appropinquo, cujus in ambobus lateribus arbores sunt quasi custodes. Inter arbores conquiescunt sepulti duobus ordinibus dispositi tantum longis, quantum oculis conspici possunt.

Magnifica sunt illa sepulcra ex saxis ingentibus facta.

Neque possum animi motum hujus momenti coercere; pileum capiti detraho, qui unus ex hoc genere pumilionum, inter arcas lapideas gigantum procedo.

* * *

Atque dum vesperi in cella quadam tabernae provincialis sedeo, aliquid calidi fluentis sentio in meis venis atque usque ad ultimas regiones septentrionales conversus exclamare velim:

Nihil est in terris aeterni nisi labor!

Qui deos laboris colit, excelso stat capite in vitae tempestatibus, et quamvis superveniente devastatione frangatur, tamen vivit in laboribus suis et etiam ex ruinis suis pronuntiare potest: — ego quondam fui!

Latine vertit litterarum latinarum Professor

TAUNO VUORI

Alinenk. 27 A 6

23500 UUSIKAUPUNKI in Finlandia

R E D I T U S

«CUM DULCIA LIQVIMUS ARVA?»

O vultum, patrii, nunc reducem, Lares,
Lustrate indigeni flamine spiritus
Urbanaque latus triste metite per
Rura excita fragrantia.

Nullus oves Faumus sequitur, Rhuth auream adurget
Nato mulla stipem messorum urgente cicadam,
Nullo languescunt vites oleaeque marito.

Impurique oculus vesperis integer
Pascentem casulas aediculam procul
Panos valle aquulis dissilientibus,
Dilectam puero, specit.

Tecta resecta jacent pago et silicaria euntis
Plebis cochlea jam viridat, cum sole lacerta
Merso garrulae anus reparat mox limine Vestam.

Auris fisa foris pacis imagine
Arcanum timet hoc paene silentium
Quo grillis volitante unicus axio
Praeit lampyride assonis.

Palmitibus surgunt extremo in culmine caesis
Sedis quadra novae; priscae non motave terra
Invidit Marsve ignivomus: dira hanc upupa hausit.

Lymphae nunc liquidis haustibus ebibam
Glaucos sub salicis momine pendulae;
Nunc betas laganis associas edam,
Duri delicias geni.

Fontibus emissis nostris aliunde liquores
Deductos bibimus dubie; nunc hic quoque fartas
Umbra pessime emes fucosa in prandia tabes.

Securum scabidas lubricitatis ut
 Dextras jungere erit suave tot, asteres
 Gratum ut sub tiliis colloquio fori
 Parvi condere floreis.

Ignotis quidnam, dic, aedibus undique quaeris?
 Omnia sola tacent; plures ejecit egestas,
 Ejectos tellus mercede noverca recepit.
 Flemus sola Lares.

* * *

Dulce solum, tectos quod acerba pace parentes
 Arboris afflentis murmure lene foves,
 Quo, fascem collo mater cum passa lucrosum
 Jejuna ipsa orbos tres aleret putulos,
 Rupibus et fluvio et silvis solantibus hisce
 Sopivi grandem parvus amaritiem,
 Cumque patris tremula doctum face pegma vorantem
 A tonsore loci traderet hausta sopho,
 Navo a dilecto capiti, tibi pulsus amore
 Antiquum coepi te enucleare, satis
 Visu dum tacitos crescens alit illa furores
 Tum sacra Nausicae, nunc mea Penelope,
 Dulce solum vidi ipse oculis te strage putrescens,
 Vidi urbi superans atque sibi senium.
 Has gens signiferos ter mille experta per orbis
 Petras ingrata sub vice perpetuam
 Belli annique polique assuerat vincere noxam,
 Libera festivis collibus una domus.
 Unde tui abstracti, dispersum semine vulgus,
 Oris jam nulla laetitiave manus
 Carcere tunduntur fabrili aut Ditis hiatus
 Sudant, ut ditent aurea nostra, nigros.
 Quorum mox proles alieno sidere versa,
 Sive Helicen rigidam vel subiere patres
 Hesperiam nautae auriferam Genuensis, Eoam
 Austri sive Crucem percoluere, rubens
 Stirpiculae jam jam memoris non est memor ipsa,
 Oppiduli exsilium, nominis excidium.

Dulce solum, matris neque sancta ego calla renatus
 Mutarim sceptris Albionum teneris,
 Mutas nec casulas praeruptis rupibus aptas
 Francorum pro horto prodiderim Elysio.

At nos hinc fugimus.

* * *

Errant ultima jam lumina pabulls
 Tecum sidereis, alloquium pie
 Haud oblita vetus. Proderit incolae
 Puro hic aethere perfrui.

Stellae secreto commota vagantur amore
 Mortales tamquam terrarum erramus in umbris.
 Ibimus inviti signumque sequemur amicum.

En solem crepitu vocis alaudula
 Alte mane citat; proxima, mox procul
 Jam terranea avis fruge quiquit¹, tacet.
 Grata et nunc tibi mansio.

Corda manent, aliunde rogant artissima vitae:
 Hic soror, est montes trans multos proxime ab undis
 Nidus pullitiae victumque patremque manente.

Vitrum prae aeriis mobile populis
 Curvi mulcet adhuc ponticuli pedes
 Notum et rana loquax deficit in lacum.
 Grata illis quoque mansio.

Corda manent, alio repetunt praestantia vitae:
 Munera parva quidem, permagno at fusa labore,
 Ibimus et donec sirit Deus acre feremus.

Aegris rura salus, undique at omnia
 Aegra. An tute humiles despicias Lares?
 Cara et munera sat, sat patria excoles
 Nobiscum; facilis mane.

1. Coturnicis vocem ita effingere visum est.

Plurima nullave tot linguis studiisque novato
(Pectus habet) patria est vel maxima, ea omnibus una;
Pax vobis; clamant alii (dimittite) fratres.

Audin tu sonitum pacis ab hortulo
Mestae? Turiferi te fremitus vocant,
Te manes patrium, Patria percole,
Nobiscum facilis mane.

Olim vel citius colles ignotus in oris
Natales aliis atque urnae propter amicas
Murmur lene querar taciturnus. Perfacilis tum
Vobiscum o maneam!

Prof. HERMINIUS PAOLETTA
Via G. Poli, 35 (Parco Aranci)
80055 - PORTICI (Napoli) Italia

QUID HORATIUS DE LUCILIO POETA SENSERIT

Compertum habemus ex Venusino ipso causam amicitiae minime illum habere cum Lucilio poeta. Cur de causis?

In "*Sermonibus*" suis de Lucilio non benevolo animo sentit Horatius, qui quidem vehementius accusat quod non modo comoediae priscae satirarum scriptores imitatus sit, sed ab Eupoli atque Cratino paene omnia sumpserit:

«Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae,
atque alii quorum comoedia prisca virorum est»¹.

Hoc de Lucilio Horatianum iudicium rectum verissimumque minime nobis esse licet affirmare, cum horum scriptorum comoediae nobis non exstant, ut deliberare possimus quomodo poetas illos Lucilius imitatus fuerit et quantum ex illis hauserit.

Quod versus *lutulente* scribere, sicut lutulentum flumen fluat; in hora saepe ducentos versus dictabat

«cum flueret lutulentus...»²,

graviter illum accusat Horatius, qui «limae laborem»³, ut in "*Ad Pisones fratres Epistula*" diligentissime commendat, atque illum severe increpat quod praeceptum hoc neglexerit.

Cujus vero fragmenta ex triginta satirarum libris, quos conscripserat, perpauca exstant, ut nobis liceat Horati sententiam recte indicare. Nam Lucili versus, qui nunc a prudentibus doctoribus leguntur atque ad criticam rationem perducuntur, tam pauci sunt, ut non adducamur ut Horatianam gravem confirmemus sententiam.

Vehementius denique illum reprehendit quod in satiris suis componendis nimis a comoedia prisca pependerit:

«hinc omnis pendet Lucilius.....»⁴

1. Hor., *Sermonum*, lib. I, IV, vv. 1 - 2.

2. Id., *Ib.*, v. 11.

3. Id., *Ars poetica*, v. 291.

4. Id., *Sermonum*, lib. I, IV, v. 6.

quam non multum Venusinus ita existimabat, ut in illa ad Augustum *Epistula* dixerit fortiter Romanos peccare quod veteres scriptores magni haberent, suos vere ejusdem aetatis contemnerent:

«Interdum vulgus
si veteres ita miratur laudatque poetas
ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat»⁵.

Nam

«Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit»⁶

Venusino enim minime antiqui satirarum scriptores placebant, cum vellet ardentem ipse satirarum scriptor ita se haberi, ut nobis non falsum esse videatur Horatium dicere. Qui quidem cum non paulum antiquae aetatis scriptoribus invidisset, qui ante ipsum maximam consecuti erant famam, torvis oculis illos intuebatur. Nam cum a poetis antiquis, praesertim ab Alexandrinis, multum hausisset, tamen summos poetas, qui antea vixerant, de industria neglexit, quod timebat ne fama eorum suo decori summi Romanorum poetae officeret.

In Lucilium ergo, cujus gloriae summopere invidebat, rabidos aculeos intulit Venusinus, etsi, forsitan dissimulanter, eum Romanarum satirarum generis "*inventorem*" praedicavit:

«... sale multo
Urbem defricuit»⁷.

Quae autem honorum cupiditas sua talis erat, ut nullum poeticum lumen, ut ita dicamus, suum obscurare sineret.

Judicium ergo, quod de Lucili satiris graviter fecit, maxima prudentia sumendum est nobis, quod scimus illud tantummodo ab invidia superbiaque nasci:

«Infra Lucili censum ingeniumque, tamen me
cum magnis vixisse invita fatebitur usque
invidia »⁸.

5. Id., *Epist.*, lib. II, I, vv. 63 - 65.

6. Id., *Ib.*, vv. 88 - 89.

7. Id., *Sermonum*, lib. I, X, vv. 3 - 4.

8. Id., *Sermones*, lib. II, I, vv. 75 - 77.

Attamen facere non potest, quin de Lucilio, quoad virum, iudicium hoc faciat:

«... fuerit Lucilius, inquam,
comis et urbanus, fuerit limatior idem
quam rudis et Graecis intacti carminis auctor»⁹;

vere ipse:

«Sapiens Lucilius»¹⁰

fuit. Vere facunda doctrina inest Lucili praeceptis, quorum permulta honestati vitae coniectuntur, inter quae liceat nobis fragmentum hoc referre, in quo depingit poeta hominum mores corruptos hujus saeculi quasi gerantur, sub aspectum paene subjectio. Quae sit vita hominum super terram secum ipse quaerit poeta et versibus his respondet:

«Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti,
verba dare ut caute possunt, pugnare dolose,
blanditia certare, «bonum» simulare «virum» se,
insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes»¹¹.

Hoc loco, fragmentum istud praetermittere nequimus, quod ad christiana morum praecepta attinet. Nam quid de virtute Lucilius censeat, nobis indicat poeta:

«Virtus ... est, pretium persolvere verum
Quis in versamur, quis vivimus rebus, prodesse,
Virtus est, homini scire id quod quaeque habet res,
Virtus, scire, homini rectum, utile quid sit honestum,
Quae bona, quae mala item, quid inutile, turpe inhonestum
Virtus divitiis pretium persolvere posse,
Virtus id dare quod re ipsa debetur honori,
Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,
Contra defensorem hominum morumque bonorum,
Hos magni facere, his bene velle, his vivere amicum,
Commoda praeterea patriae sibi prima putare,
Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra»¹².

9. Id., *Ib.*, vv. 64 - 66.

10. Id., *Ib.*, v. 16.

11. Lucilii, *Carminum reliquiae* (ed. Marx), n. 1225.

12. Luc., *Op. cit.* (ed. Marx), n. 1326.

A definitionibus his, in quibus poeta breviter vivendi officia comprehendit, M. Tullius Cicero, Panetium Stoicum secutus, de bono atque honesto definitionem traxit. «Nam — ita Arpinas — sive honestum solum bonum est, ut Stoicis placet, sive, quod honestum est, id ita summum bonum est, quemadmodum Peripateticis placet... dubitandum non est quin numquam possit utilitas cum honestate contendere»¹³.

In fragmento hoc totum ingenium, mores animique magnitudo elucent viri, qui semper aequitati atque integritati adhaesit.

Prof. AEMILIUS PIOVESAN

Via Fontane, 111

TARVISII (31100 Treviso) in Italia

13. Cic., *De Officiis*, lib., III, cap. III.

BIBLIOGRAPHIA

LINAGE CONDE, A. — *Los Orígenes del Monacato Benedictino en la Península Ibérica*: vol. I. *El monacato hispano prebenedictino*; vol. II. *La difusión de la "Regula Benedicti" en la Península Ibérica*; vol. III. *Monasticon Hispanum. Apéndices*: Colección "Fuentes y Estudios de Historia Leonesa", núm. 9, 10, 11. León, Centro de Estudios e Investigación "San Isidoro", 1973; vol. I - II, pp. XX-1100; vol. III, pp. 584; opus plurimis codicum imaginibus atque tabulis geographicis ornatum.

In superiore fasciculo (*Pal. Lat.* XLIV, 1974, 59) lectores nostros certiores fecimus de opere Antonii Linage Conde, cui titulus erat: *El "Libellus a Regula Sancti Benedicti substractus"* (Salamanca, 1973). Nunc laeto gratoque animo hoc novum opus, tribus voluminibus contentum, lectoribus offerre opus est atque de eo sententiam proferre.

Atque imprimis hoc de eo dicendum est opus esse magni quidem molis, sed majoris ponderis; a quo necesse erit procedere cum iterum de re in eo agitata quis velit fusius agere.

Nihil mirum igitur quod, statim ut hoc accepi opus, in animo magna quidem admiratio excitata est. Etenim, cum paginas simplici conspectu evolvi, percepi opus esse magna typographorum cura elaboratum, ingentem rerum copiam in eo esse contentam, praeterea quanta sit in eo testimoniorum, fontium, scriptorum majoris momenti constantia, firmitas, fortuna; quam perspicua doctrinae, sententiarum, rerum gestarum dispositio atque robur, immo quam dilucida et

rite proposita imaginum, codicum et tabularum de re historica et geographica praestantia oblata, quorum ope omnis res in opere agitata illustratur atque ornatum et quasi per oculos in mentem imprimatur et alte infixam manet.

Quid vero postea, cum opus totum pedetentim perlegi atque attente studioseque consideravi? Crevit mirum in modum admiratio tanti operis, quia revera magni momenti est raroque admodum evenit. Est enim non tantum notitiarum copia locuples et sententiarum, sed sensu vere critico in eo quaestiones variae proponuntur, praemisso statu rerum, claro et recto acumine, omnia ad trutinam, ut ita dicam, afferuntur, plurimis rationibus atque testimoniis ea confirmantur, quae firmitate et stabiliora videntur; ea tamen quae firmitate carent aut dubia videntur rejicienda proponuntur. Omnes ergo quaestiones, etsi plurimae sunt et graviores, validis rationibus atque scriptorum testimoniis auctoratae apparent.

Impossibile sane est omnia in hoc laudato opere agitata enumerare. Attingam tantum ea quae mihi maxime placuerunt.

Atque in primis majoris momenti reputavi ea quae de *Regula Benedicti* (pp. 190-208) —de textu, de fontibus, de lingua— tam perspicue dilucidantur. Praeterea obiter et quasi per transennam, multa strictim declarantur quae difficiliora quidem sunt, exempli gratia: de monachatu et virginitate (pp. 211-220), de virgine Etheria (pp. 220-222), de jure monastico visigothorum (222-233), de pactu seu vinculo monachorum (291-342), de propagatione vitae monasticae (343-

468), cet. En tibi, lector humanissime, praecipua quae in volumine primo continentur.

In altero volumine auctor agit de historia monachorum Sancti Benedicti ab anno DCCXI ad annum MCIX, quo tempore Regula Benedicti firma rataque jam in Iberica Paeninsula fuit. Multa in hoc altero volumine praecleara quoque et magni momenti invenimus, sed, ne fusius quam par est notitiam hujus operis protraham, mentionem tantum facio de capite, cui titulus est: *Iter codicum* (pp. 773-997), in quo, praeter notitias et testimonia quae abunde afferuntur, omnia illustrantur magna copia imaginum et tabularum ad historiam et geographiam propagationis Regulae Benedicti pertinentia.

In tertio volumine invenies *Monasticon Hispanum*, seu indicem omnium monasteriorum in Paeninsula Iberica erectorum ante annum MCIX, ordine litterarum propositorum, quod quidem labor est magnae patientiae, sed utilitatis minime parvae.

Cum clmo. Claudio Sánchez Albornoz, homine emunctae naris, revera opus est hunc majoris momenti monumentum ut acre perennius aestimemus idque magnis plurimisque laudibus tota mente prosequamur.

JOSEPHUS JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

MEILLET, A. — *Historia de la lengua latina*. Manuales Avesta: Serie Universitaria I. Edic. AVESTA, Reus, 1972. Pág. 198.

En habemus interpretationem hispanicam operis clmi. viri A. Meillet, multarum linguarum expertissimi, quod "Esquisse d'une Histoire de la Langue Latine" inscibitur. Non nullis animadversionibus de superioribus editionibus atque introductione peractis, historiam linguae latinae auctor

subtiliter periteque XI capitibus describit. Lingua latina —lingua quidem imperii principis in dicione indo-europea— stabilitatem et firmitudinem servavit octo circiter saecula. Cum autem unitas cottidiani sermonis saec. III-X p. Chr. labefactari coepta est, unitas linguae scriptae sese servare integram perrexit. Lingua latina scriptorum vulgo classicorum usque ad aetatem recentiore genus dicendi exstitit ad scientiam philosophiamque explicandas in Europa occidentali; immo vero in praesens lingua latina una publici juris aestimatur unius vere religionis per universum orbem propagatae, Romanae scilicet Ecclesiae. Omnes quoque linguae hodiernae Europae occidentales divitem ejus substantiam suxerunt nullaque alia in orbe lingua per duo milia annorum habuit tantam praestantiam atque momentum in humano civili que cultu evolvendo. Praeterea lingua latina, sermone graeco ditata, recentiori culturae summa ac praecipua quasi principia dictionis linguisticae contulit. Quae omnia argumenta Prof. A. Meillet scite pertractat XI capitibus distributa: I. *Del Indo-europeo al latín*; II. *Orígenes dialectales*; III. *La cronología de los hechos indoeuropeos y la unidad italo-celta*; IV. *El itálico*; V. *Los dialectos latinos*; VI. *La lengua de Roma en el s. III antes de C.*; VII. *Estructura del latín*; VIII. *La helenización de la cultura romana*; IX. *La expansión del latín*; X. *Cambios del latín en la época imperial*; XI. *Persistencia del latín escrito*. *Bibliografía. Índice temático. Índice de palabras latinas. Índice general.*

GLARE, G. W. — *Oxford Latin Dictionary*. Fascicle IV: *Gorgonia-Libero*. Oxford at the Clarendon Press, 1973. Pag. 769-1.024.

Qui litteras latinas excolimus, ma-

ximis laudibus prosequi debemus editores Universitatis Oxoniensis ob recentem fasciculum praestantissimi vocabularii latini quod "Oxford Latin Dictionary" inscribitur. Novus lapis ad maximum latinitatis, quod ad lexicon spectat, monumentum exigendum. Cum lectores hujus modi vocabulij et naturam et indolem et fines jam diu ex superioribus fasciculis recensendis in comperto habeant, sufficiat nobis non nulla verba in primis notare quae cum rei tractatione tum argumenti ratione atque praestantia magis explanantur magisque in ceteris eminent: *gratia, gravis, habeo, hic, iaceo, iam, idem, ignis, ille, imperium, in, inanis, incertus, incido, inclino, induco, infero, integer, intendo, inter, interpono, invenio, ipse, is, ita, iter, iudicium, iudico, iungo, ius, iustus, labor, laboro, latus, lego, lentus, lewis, lex, liber*. Severissimo cuique judici arridebit ratio ac via in exponendis verbis. Interdum, praeterea, auctores, cum res postulat, verbum conferunt cum aliis linguis ut fit in voce *liber* (cf. Paelignian *loufir*, Faliscan *loferta*, Gk. ἐλεύθερος, variasque verbi formas etiam adducunt (Forms: *leiber, loebesum* = liberum, etc.). Opus aestimamus recentissimis rationibus lexicographicis accommodatum; quod legentibus omni jure commendemus oportet.

BEAUJEU, J. — *Apulée: Opuscules Philosophiques (du Dieu de Socrate, Platon et sa doctrine, du Monde)* et Fragments. Société d'Édition "Les Belles Lettres", Paris, 1973. Pag. LIV-352. 55,00 F.

Operi universo universa praeit introductio qua ad cognitionem legentium haec argumenta attinguntur: I. Quid sint opuscula philosophica Appulei; II. Utrum opuscula "De

Deo Platonis" et "De Mundo" Appuleio necessario tribuenda sint necne (ubi testimonia externa, furta litteraria, errores, lingua dicendique genus, clausulae, locutiones iterum iterumque usitatae investigantur); III. Quo tempore opuscula sint composita; IV. De textu rite stabiliendo ope codicum; V. De praefatione opusculi "De Deo Socratis"; VI. Praecipuae opusculorum editiones; VII. Interpretatio vernacula. Conspectu codicum et scriptorum habito, primum auctor opusculum "De Deo Socratis" aggreditur, quod, priusquam textum legentibus praebeat vernacula interpretatione et apparatu critico instructum, scita praemittit introductione ubi de genere agit et de adjunctis opusculi, de ejus compositione argumentique distributione ac sensu, de opusculo superstite, de lucubrationibus superioribus quibus auctores opuscula illustrarunt. Deinde quod ad alterum opusculum "De Platone et ejus dogmate" spectat, eandem circiter rationem ac viam insequitur J. Beaujeu in opusculo tractando; scitam quoque aestimamus introductionem qua opusculum ostenditur quasi summa ad scholarum usum doctrinae platonicae, ubi plurima eaque maximi momenti revocantur dicta et facta memorabilia ad Platonem ejusque sectam cognoscendam spectantia. Denique opusculum "De Mundo" manu librum volventi offertur; ante textum latinum et interpretationem gallicam introductio quoque praemittitur de quaestionibus in primis quae ad verum operis scriptorem et ad manu scriptam traditionem maxime spectant. In secunda libri parte *Fragmenta* inseruntur atque tractantur. Ibi praeterea scitissima de tribus opusculis commentaria habentur ad locorum rerumque tractatarum explanationem uberrimam. Indice demum nominum et rerum explicit volumen.

DUFOUR, M. et WARTELLE, A. — *Aristote: Rhétorique, t. III (livre III)*. Société d'Édition "Les Belles Lettres", Paris, 1973. Pag. 176. 35,00 F.

Quod in primis in aliis quaestionibus vehementius criticos excruciare solet qui librum III Artis Rhetoricae Aristotelis investigare volunt, est quaestio utrum vere Stagiritæ tribuendus sit ut genuino auctori necne. Maxima igitur pars introductionis eo praesertim intendit ut non nihil lucis rei disputatissimae afferatur. Prof. M. Dufour eandem sententiam quam Diels (*Abhandl. d. Berl. Akad. Wiss. Philos. - Histor. Klasse*, 1886) propugnat, scilicet, librum hujus modi tertium ex duobus constare tractationibus (περὶ λέξεως seu *de dicendi genere* et περὶ τάξεως seu *de partium ordine vel dispositione*). Quem tertium librum Aristotelis composuisse videtur prima in urbe Athenis commoratione cum in Academia discipulus Platonis versabatur, ut schola platonica opus in vulgus propagandum haberet quod aliis philosophorum sectis praesertim Isocratis obversaretur. Praecipuae de re rationes contrariae et secundae discutiuntur cum internae tum externae quae vulgo appellantur; quam sententiam Prof. A. Wartelle retinet atque confirmat sive in accuratissimo operis discrimine sive in materia seu argumento sive in vocabulario vel dicendi genere innixus, quod ad probationes illas extimas et intimas attinet. Praeterea editor novus novam amplificat bibliographiam recentissimorum librorum operumque notitiis. Interpretationem quoque gallicam M. Dufour A. Wartelle accurate retractavit, rite etiam perspectis difficultatibus manu scripti M. Dufour textuque Aristotelis stabiliendo optimorum codicum instrumento. Brevis operis complexio seu commenta-

rium universae materiae magno legentibus erit commodo; deinde insequitur textus graecus interpretatione vernacula et apparatu critico instructus; denique annotationes additiciae finem operi aristotelico imponunt cum indice vocum rhetoricarum ad summam legentium et consultantium utilitatem.

COURTONE, Y. — *Un témoin du IV^e. siècle oriental: Saint Basile et son temps d'après sa correspondance*. Société d'Édition "Les Belles Lettres", Paris, 1973. Pag. 560. 80,00 F.

Jamdudum societas, quae "Les Belles Lettres" indice insignitur, omnes litteras Sancti Basilius tribus voluminibus in lucem edidit. Nunc vero hoc volumine litterae iterum basilianae gallice tantum conversae sine textu graeco vulgantur, alio tamen ordine per varia scilicet diversaque argumenta digestae atque distributae, ita ut litterae sic dispositae, adjunctis historicis et chronologicis rite perpensis, novam quandam lucem rebus saeculi IV in Oriente afferre possint. Haec litterum basilianarum collectio corpus constituunt maximi momenti historici saeculi IV non tantum ad res aetate illa gestas verum etiam ad sermonem dicendique genus dignoscendum Sancti Basilius qui in scriptoribus id genus litterarum vere exstitit princeps. Indicem igitur sequamur oportet ut hanc rationem viamque in hujus modi litteris disponendis percipiamus: Primum caput: LITTERATUS CIVILISQUE VIR (Les années de préparation. La formation du Lettré. La formation de l'Homme de Dieu. L'Homme du monde. Les lettres de civilité). Caput secundum: FIDEI PROPUGNATOR (L'Arianisme. Les Conciles. La marche de l'Arianisme à travers l'Orient. Le Sa-

bellianisme). Tertium caput: ECCLESIAE DOCTOR (L'Arianisme. Le Sabellianisme. Marcel d'Ancyre. Les doctrines hérétiques sur l'Incarnation. Eustathe de Sébaste. Apolinaire de Laodicée). Caput quartum: ECCLESIIIS CONCILIANDIS APOSTOLUS (Divisions et Schismes en dehors du Schisme d'Antioche. Le Schisme d'Antioche. Les Appels à l'Occident). Caput quintum: EPISCOPUS ET METROPOLITA (L'évêque de Césarée. Le métropolitain et sa sollicitude de toutes les Eglises. L'évêque face à ses adversaires. Les dernières lettres de gouvernement. La prière et les assemblées religieuses). Caput sextum: DEBILIUM ADVOCATUS (Le défenseur de sa cité. Le défenseur des faibles et des malheureux. L'avocat des coupables. Les demandes de diminution ou d'exemption d'impôts). Caput septimum: LEGIFER MONACHORUM (La préparation. Le monachisme avant Basile. Les voyages de Basile. La réalisation. Basile ascète et législateur des moines). Caput octavum: ECCLESIAE LEGIFER (Le Baptême. Le Mariage. Les péchés de la chair. Le vol et le prêt à intérêts. L'homicide. La sorcellerie et la divination. Les serments. Les outrages au Christ. Les hérétiques).

CALLEBAT, L. — *Vitruve: De l'architecture, livre VIII*. Société d'Édition "Les Belles Lettres", Paris, 1973. Pag. LIV-198. 45,00 F.

Primum in introductionem, qua opus praemunitur, ultro introeamus; ibi postquam auctor quare tractatus partim ad hydrologiam et hydraulicam per se pertinens, in ampliore tractatu architecturae contineatur explicavit, de rebus et divisione libri VIII agit: de inventionibus aquae, quasque habeat in locorum proprietatibus vir-

tutes, quemadmodum ante probetur, quibusque rationibus ducatur; virtutes et vitia quae in libri structura inveniuntur disputantur; agitur quoque in introductione de libro VIII praestantia et opportunitate, de novitate et momento scientifico. Deinde, ut mos est editoribus hujus corporis seu collectionis, textus latinus prostat cum apparatu critico al calcem et vernacula interpretatione qua vel inscio latinitatis latinum opus patefit. Denique commentaria habentur uberrima quibus loci, quavis rationes praestantiores, utiliter illustrantur atque explicantur. Indice nominum et rerum, praeter chartas geographicas, de more finitur opus.

MONTENEGRO DUQUE, A. — *Historia de España, Edad antigua I: España prerromana*. Ed. Gredos, Madrid, 1972. Pág. 616. 600 Ptas.

Arduum sane videtur summam historicam Hispaniae Antiquae conscribere, praesertim cum quis omnes de re quaestiones in diem digerere velit. Quod sibi —quapropter maxima eum prosequimur laude— proposuit Prof. A. Montenegro Duque hoc volumine, quod alumnis universitariis largitur. In scita, quae plurimum nobis probatur, introductione tria argumenta magni momenti attinguntur: quibus finibus chronologia Hispaniae Antiquae determinetur, quo pacto nominatio Hispania Antiqua cujusdam unitatis sensum contineat, quid de Hispania veteres scriptores senserint quibusque nominibus Hispania nuncupata sit. Volumen in tres partes dividitur: I. HISPANIA PRAEHISTORICA, ubi de mundi origine, de homine primaevo aetatis Palaeolithicae Inferioris et Mediae quod ad primos paeninsulae ibericae incolas attinet, de hominis hispani progenitoribus in aetate Palaeolithica Superiore, de

aetate cultus urbani, de aetate metallorum, in primis aenea agitur. Bibliographia. II. QUAE GENTES IN HISPANIAM COLONIAS DEDUXERUNT: Gentes Maris in Hispania Tartessique historia. Phoenicum, Carthaginiensium, Graecorum coloniae. Bibliographia. III. INDOEUROPAEORUM IRRUPTIONES POPULORUMQUE HISPANIAE PRAERROMANAE CONSTITUTIO: Indoeuropaeorum incursiones; gentes Hispaniae praerromanae; cultus Hispaniae ibericae; cultus Hispaniae celticae; celtiberi. Bibliographia. Opus paucis verbis, utilissimum aestimamus non tantum qui studiis universitariis dant operam verum etiam in re peritis, praesertim cum hoc volumine omnes quaestiones ad Hispaniam Antiquam spectantes pertractentur scita ratione ac via, luculenta rerum expositione, quam plurimis imaginibus et chartis geographicis, recentis operum librorumque bibliographia.

PAOLI, M. — *Vita d'ogni giorno in Roma antica*. Da "VITA ROMANA" di U. E. Paoli. Ed. Le Monnier, Firenze, 1972. Pag. 278. L. 2.200.

Qui opus clmi. investigatoris atiquitatum romanarum, Prof. H. H. Paoli, quod "*Vita romana*" inscribitur cognitum habuerit, facile intellet quantum liber "*Vita d'ogni giorno in Roma antica*" inscriptus superiori illi operi notissimo debeat. Summa enim compendiosius exarata videtur, qua Prof. Maria Paoli eadem argumenta attingit eandem quoque viam ac rationem quamvis brevioris atque rationem H. H. Paoli insecuta. Opus in quattuor quasi capita dividitur: I. URBS, ubi vita per Romae vicos, colles Urbis, Forum, Campus Martius, tabernae, frequentiores mercatus, Roma nocturna, moenia et portae, ma-

xima viarum strata, labens aedilicia disciplina Romae describitur; II. SEPULTAE URBIS HISTORIA, quo capite Pompeiorum urbis quasi e cineribus Vesubii exuitur ad vitam civium vivide repraesentandam; III. AEDES, quae genera domorum ad habitandum haberent romani; IV. VITA COTTIDIANA, ubi quam vitam agerent cottidianam romani in exercitationibus ludicris, balneis, ludis circensibus, theatro conversantes memoratur; praeterea de studiis et scholis agitur, de causidicis, de medicis morbisque, de libris et epistulis conscribendis atque per cursores deferendis, de arte coquinaria, de femina in familia, de matrimonio, de divortio, de servitute, de faceto romanorum ingenio atque dicacitate, de religione, superstitionibus, sortilegiis, de itineribus, de funeribus; V. MORES, in vestibus et calceamentis exornandis, in barbibus comisque componendis. Opus in primis alumnos qui latinas litteras ineunt per utile erit ad res, instituta, mores romanorum rite intellegenda.

RONCONI, A. — POSANI, M. R. — TANDOI, V. — *Manuale storico della letteratura romana*. Ed. Le Monnier, Firenze, 1973. Pag. 528. L. 2.900.

Ut ex praevia animadversione colligitur, auctores qui opus "*Storia e antologia della letteratura latina*" inscriptum olim tribus voluminibus conscripserunt, hunc in praesentia librum iis destinare volunt cum magistris tum alumnis, qui textum commodiorem, quamvis non minus absolutum atque completum optantes uno tantum volumine partem historicam haberent. Rem igitur universam retraxerunt peritissimi auctores eandem circiter rationem ac viam servando in disponendis litteris latinis per varia adjuncta historica atque socialia. In-

troductione peracta, qua de aetatibus litterarum latinarum, de hellenitate et romanitate, de Roma et populis italicis, de lingua latina disseritur, unamquamque ingrediuntur aetatem litterariam describendam, scilicet, aetatem praelitterariam (*Forme preletterarie, Bibliografia*), aetatem archaicam (*Introduzione, La letteratura fino a Plauto, Tito Marcio Plauto e Cecilio Stazio, Q. Ennio, Pacuvio e Accio, La cultura scipionica, P. Terenzio Afro, Gli Scrittori minori e le ultime vicende della commedia, Lucilio, La prosa letteraria arcaica, Bibliografia*), aetatem caesianam (*Premesa, Tito Lucrezio Caro, La lirica, Catullo, Il mimo, Varrone e la nuova cultura, La storiografia, Cesare, Sallustio, L'eloquenza e Cicerone, Bibliografia*), aetatem augusteam (*Augusto e l'età sua, Virgilio, Orazio, L'elegia, Ovidio, Tito Livio, Gli eruditi dell'età augustea, Bibliografia*), aetatem postaugusteam (*Premesa, La poesia da Augusto a Tiberio, Eloquenza e retorica, Storiografia, Storici e eruditi di età Tiberiana, La letteratura sotto i Claudii, Seneca, Lucano, Petronio, Scrittori minori, Marziale: il poeta dell'età Flavia, Gli epigoni di Virgilio, Eruditi dell'età Flavia, La retorica e Quintiliano, L'età Traiana: Giovenale, Tacito, Plinio il Giovane, Suetonio e gli storici minori, Da Adriano agli Antonini, Apuleio, Scrittori minori del II e III secolo, Bibliografia*), aetatem christianam et paganam (*Dagli Antonini a Diocleziano, Gli Apologeti: Minucio Felice e Tertulliano, Cipriano, Arnobio e Lattanzio, Origini della poesia cristiana, Scrittori pagani dell'età di Costantino. La polemica antiariana, Pensatori e eruditi del IV secolo, La storiografia del IV secolo, Ambrogio, Damaso e Prudenzio, Ausonio e la letteratura del IV secolo in Gallia, Girolamo, Agostino e Orosio, L'erudizione fra il IV e il V se-*

colo, Ultimi poeti pagani, La letteratura latina alla caduta dell'Impero d'Occidente, Bibliografia). Quaeque aetas litterarum latinarum bibliographia instruitur selecta eo in primis consilio ut studiosi praesto habeant quasi facilem viam ad investigationes perficiendas.

ROMANO, T. — *Considerazioni storico-tradizionali sul teatro di Seneca*. Collana "Tradizione", Quaderno N. 1. Pag. 15.

Perbrevis hoc opusculo sed perutili Prof. T. Romano lucubrationem criticam de operibus scaenicis Senecae peragit, qua, aetatem litterarum latinarum vulgo imperialem nuncupatam investigans, considerationes quasdam inserit atque iudicia critica de omnibus scriptoris cordubendis operibus, simul atque Senecam inducit optimorum tragicorum graecorum vestigia prementem.

PERROTA, G. — ALBINI, U. — *Lirici Greci*. Ed. Le Monnier, Firenze, 1972. Pag. XVI-460. L. 3.500.

Prof. H. Albinus, qui hanc editionem G. Perrotta accurate paravit, subtili praefatione rationes ac vias inquirat quibus lyrici graeci italice sunt conversi jam inde a primis G. Fraccaroli et Romagnoli interpretibus, quin S. Quasimodo, M. Valgimiglii ceterosque interpretes praetermittat; quas omnes lyricorum graecorum interpretationes earumque auctoritatem iudicio critico acutissimo Prof. H. Albinus illustrat, ut denuum G. Perrotta tanquam principem interpretum vindicet propter ejus genus interpretandi omnibus numeris absolutum recentique nostrae aetatis in primis accommodatum. Scitam introductionem scripsit ipse G. Perrotta compertum habens quanta in legendis lyricis graecis insit difficul-

tas; huc accedit quod ex haud benevolentij Ciceronis sententia de lyricis graecis factum est ut ii paene in scholis et libris evanescerent, quippe qui minus rhetorici minusque ad conformandos mores idonei viderentur. Nostra tamen aetate lyrici graeci jure meritoque vindicati sunt dignique aestimati qui legantur atque investigentur, praesertim cum in genere lyrico summa vis atque virtus poeseos consistat, in eisque lyricis graecis magna verborum sobrietas, simplicitas, sensorum et cogitatorum varietas ac perennitas, claritas imaginum, inopia rhetoricae mirum in modum praestet. Quibus omnibus lyrici graeci magni ab hodiernis hominibus habentur. In introductione praeterea scite vivideque de Archilocho, Alcmane, Sapphuque in primis agitur. Interpretatio, qua italica veste elegantibusque versibus exornantur atque convertuntur Mimnermus, Archilochus, Hipponax, Sapphus, Alcaeus, Anacreon, Alcman, Stesichorus, Ibycus, Simonides, severissimo cuique judici critice probabitur atque arridebit.

BENEVISTE, E. — *Problemi di linguistica generale*. Ed. Il Saggiatore, Milano, 1971. Pag. 418.

Scripta, quae hoc volumine sunt colecta, jam inde ab anno 1939 usque ad 1964 in non nullis commentariis periodicis in lucem prodierunt; quorum scriptorum quasi unitatem videant lectores in crebra linguarum historicarum collatione tanquam unica via ad linguam ejusque munera comprehendenda. Summam argumentorum memoremus oportet quae in sex partes distribuuntur. Prima parte (TRASFORMAZIONE DELLA LINGUISTICA) mutationes et evolutio describitur quae in linguae doctrina excolenda evenerunt ad tutam

exactamque scientiam efficiendam. Secunda parte (LA COMUNICAZIONE) de praecipua communicandi quaestione agitur deque signi linguistici natura, indole, muneribus. Tertia parte (STRUTTURE E ANALISI) notio structurae inquiritur, praesertim juxta Scholam Pragensem, nec non munus elementorum quae in analysi linguistica inveniuntur: phonemata, morphemata, lexemata, locutiones. Quarta parte (FUNZIONI SITATTICHE) per prospectum linguarum quam longissime diversarum (ut re vera videtur lingua ewe, tunica, sumerica, arabica, indo-iranica, graeca homerica, ittita, latina) constantia patet fit muneris syntactici propositionis relativae. Quinta parte (L'UOMO NELLA LINGUA) quasi vestigium seu sigillum hominis in lingua auctor perscrutatur subjectivis elementis personae, pronominis, temporis impressum atque definitum. Sexta parte et ultima (LESSICO E CULTURA) non nullae attinguntur quaestiones, quae ad restitutionem ut dicimus semanticam pertinent, videlicet, genesis atque evolutio quorundam verborum seu vocum quae ad nostram aetatem cultumque pervenerunt. Quaeque pars annotationibus illustratur et indice analytico explicit opus.

FRÉCAUT, J. M. — *L'esprit et l'humour chez Ovide*. Presses Universitaires de Grenoble, 1972. Pag. 404.

Laudandum sane propositum Prof. J. M. Frécaut ante oculos nostros inducendi Ovidium poetam jocos, facetiis, cavillationibus, leporibus, hilaritate, festivitate exundantem... Quod jure meritoque manctus est; scitissimo enim volumine tali indole et ingenio praeditus vates sulmomensis revelatur. In introductione primum de

vocibus "esprit" et "humour" fuse subtiliterque agitur quantumque apud romanos polleret jocandi ridendique voluptas et quo jure atque ratione Ovidius juxta Senecae sententiam "*poeta ingeniosissimus*" videretur. Deinde in tres partes auctor dividit opus, quarum en prima: LES PROCÉDÉS DE L'ESPRIT ET DE L'HUMOUR (p. 25-171), ubi rationes ac viae jocandi variae exponuntur, quae sive in *verbis* (jocis nempe verborum, verborum repetitionibus), sive in *imaginibus* (comparationibus seu similitudinibus, proverbiiis, translationibus), sive in *significationibus* (ambitibus verborum, significationibus, significationibus litterariis), sive in *dictis poetae rem enarrantis* (inreparationibus, exemplis, fabellis, considerationibus, commentariis) nituntur. Pars altera sequitur: LES FORMES DE L'ESPRIT ET DE L'HUMOUR (p. 175-192) qua universa Ovidii opera poetica (*Amores, Heroides, Ars amandi, Remedia amoris, Metamorphoses, Fasti, Tristia, Pontica*) eo consilio lustrantur ut evidenter hilare Ovidii ingenium atque facetum passim innotescat. Ultima voluminis parte: ASPECTS DE LA PERSONALITÉ D'OVIDE (p. 329-367) Prof. J. M. Frécaut, ovidianorum textuum ope, totis viribus contendit Ovidii personam revelare in iis praesertim adspectibus qui ad ejus indolem ingeniosam festivamque spectant. Per utilius consulentibus redditur volumen selectissima recentissimaque bibliographia librorum et lucubrationum, editionum ovidianarum, operum quibus genus comice lepideque dicendi investigatur, operum quibus varia Ovidii carmina inquiruntur; praeterea index locorum ovidianorum opportunissime nec non index veterum scriptorum quorum loci memorantur in extremo volumine prostant.

GRILLONE, A. — *La nutrice nell'IPOLITO di Euripide*. Estatto dagli Atti dell'Accademia di Scienze Lettere e Arti di Palermo, Serie IV-Vol. XXXII 1971-72 et 1972-73, Parte II. Pag. 67-88. Palermo, presso l'Accademia, 1973.

Prof. Antoninus Grillone, postquam fabulam Phaedrae et Hippolyti fictam quo modo veteres scriptores tractaverint obiter quasi memoravit, Euripidem hanc fabulam revocantem inducit, qui, traditionis veste ornataque superiorum epicorum eam denuclans, novitate quadam propria euripidea donavit ardentissimique amoris exemplar eam constituit atque proposuit. Gratias igitur Prof. A. Grillone qui subtili acutoque tragoediae, cui index est *Hippolytus*, examine locum Phaedrae nutrici restituit principem, qui alios interdum criticos praeterierit Phaedram veram obliterando cum fortuna et amore Hippolyti conjunctissimam.

PALACIOS, L. E. — *Salutación y otros poemas*. Ed. Prensa Española, Madrid, 1972. Pag. 116.

Grato animo sumus clmo. Prof. Leopoldo Eulogio Palacios, qui Palaestram Latinam dono honestavit volumine carminum hispanicorum, quod "Salutación y otros poemas" inscripsit quodque nobis sponte amiceque misit. Rerum philosophicarum explorator et scriptor, quarum speciem "El juicio y el ingenio y otros ensayos" memoremus oportet, poesim colere non dedignatus est. En igitur degustent lectores volumen quo XXII poemata colliguntur. Fidum fuisse auctorem aestimamus inscriptioni illi latinae (scimus quoque ex amicis linguam latinam Prof. L. E. Palacios in deliciis esse) qua librum carminum sapienter praemunivit: "*Unus homo*

plures personas sustinere potest"; nam Prof. Palacios *unus* semper existit *homo* atque poeta exquisita alte sentiendi facultate, ingenii celeritate, gravitate quadam classica cum in dicendi genere tum in versificandi modo praeditus; hic autem homo atque poeta *plures personas sustinere posse* nobis videtur, cum plura eaque varia argumenta pertractat sive *amatoria* (cfr. poem. I, II, VI, VIII, XII, XX, XXII) sive *allegorica* (IV, XIV, XVIII) sive *religiosa* (II, XI, XIII) sive *philosophica ac moralia* (V, VII, XVI) sive *recentiora* (IX, X, XVII, XIX). Ut ipse coram clmo. poeta J. Raimundo Jiménez, qui eum declamantem audivit, professus est, usitatum versificandi genus non sequitur de more recentiorum poetarum aequalium aetate, sed simplicibus quamvis numerosis versibus quae ejus animus sensit, ea certe canit, potius quodam instinctu et expressione classicis, adeo ut, si necessario alicui scholae vel sectae poeticae esset adscribendus, nonne jure meritoque in optimis poetis "classicistis" qui dicuntur, numerarentur?

REUHLIN, M. — *La psicología diferencial*. Ed. Studium. Madrid, 1972. Pág. 234.

Si homines eodem sese modo minime omnes gerunt, unusquisque autem homo certis singularibusque adjunctis constitutus modum sui gerendi servat qui praevideri potest simulatque quique hominum coetus stabiles quasdam quoque possidet facultates. Quae facta, communissimae experientiae obnoxia, scientificae elaborationis ope, dictionem psychologiae differentialis quae dicitur constituunt. Hujus modi autem facta maximis obsidentur difficultatibus cum psychologi ea investiganda atque interpretanda suscipiunt. Quod igitur auctor nequa-

quam negare audet, sed has difficultates ante oculos habens, tractatum quinque capitibus exaravit, quorum indicem ad legentium cognitionem memoremus: I. Evolutio psychologiae differentialis; II. Viae ac rationes psychologiae differentialis; III. Quo pacto varia diversaque agendi genera investigentur; IV. Singuli homines diverse distribuendi; V. Origo differentiarum humanarum pro cujusque ingenio et natura: elementa hereditaria et adjuncta quibus homines ambiuntur. Selecta bibliographia, indice rerum atque scriptorum opus utilissimum redditur.

LAMBERT, P. et M. — *Hablan los jóvenes*. Ed. Studium, Madrid, 1973. Pág. 222.

Maxime hodie periclitari videtur necessitudo parentum liberorumque. Proinde P. et M. Lambert hoc argumentum exponendum sumpserunt quod nunc in lucem hispanis lectoribus vulgatur. In eo enim responsa ad interrogata colliguntur quibus patet quid de re sentiant et liberi et parentes. Juvenes sedecim-viginti annos nati ita interrogantur: In quibus saepius cum parentibus non convenitis? Continuumne cum pueris puellisque consuetudinem habetis in laboribus, in scholis, in animi relaxationibus? Quid juvenibus videtur amor? Tota perdurare vita amor potest? Inire matrimonium cupitis? Quare? Estne utile, vestra sententia, cum pueris tum puellis, "amorem experiri" ante nuptias? Utrum malum an bonum videtur vobis? Id flocci non facitis? Quare? Puerine honestas ducere in matrimonium virgines malunt? Quare? Nonne puellae contra nubere malunt pueris "inexpertis"? Quare? Quid tibi omnium praestantissimum videtur? Alia quam tu ratione ac via es institutus, instituere liberos tuos vis? In

quibus rebus magis an minus severus esses et quare? Parentes quoque eodem modo interrogantur: Quid potius vos irritat, fastidit, excruciat in liberis vestris majoribus natu sese gerentibus? In quas controversias saepissime inciditis? Multumne interest inter liberos vestros juvenes et juventutem vestram? Quid, sententia vestra, maxime in praesens apud juvenes pollet? Quid de opinione illa sentitis "pueros juventute frui" licere? Quid similiter de puellis? Habentne parentes difficultatem colloquendi cum liberis majoribus natu de matrimonio ceterisque? Creditisne hoc juvenes colloquium desiderare? Opinione denuum vestra, quo pacto juvenes potissimum juvantur in hoc cum parentibus colloquio conserendo? Quid juvenibus potius dicendum existimatis ut postea beato matrimonio fruantur? Placetne vobis alios adultos cum liberis vestris de omnibus his rebus disputare? Facile percipient lectores quantum volumen et liberis et parentibus communibus exagitationis difficultatibus nostra aetate prodesse possit.

THIBAUT - LAULAN, A. M. — *El Lenguaje de la imagen*. Ed. Marova, Madrid, 1973. Pág. 220.

Nemo improbare potest imagines, vel eas quae sine verborum textu proferuntur, sensum habere contemplantibus atque hujusmodi sensum juxta exspectantium indolem incredibiliter variari. En tibi imaginis "polisemia", quam nunc linguae periti dicunt. Enimvero imagines varie loquuntur. Tamen, ut nuntius visualis recte et omnino suscipiatur, necesse prius est disciplinam quandam adipisci socialem culturalemque praeter non nullas intellectus condiciones. Nostra quidem aetate plures homines potius imaginum quam verbi scripti ignari inve-

niuntur. Idcirco in praesens opus est multipliciter imaginis confirmare quod ad verbum spectat simulque asserere imaginem vel simplicissimam non tantum cognitiones omne genus expostulare verum etiam totam hominis personam affectare. Hujus operis auctor omnem speculandi tantum rationem praeteriens eo certe investigare contendit accuratissimis experimentationis condicionibus, ut sensus imagines subsequatur. Haec enim est ratio atque via: ex imagine statim percepta transire per hypotheses ac mutationes ad sensum perfectum atque absolutum. Itaque quaedam facta linguistica omnibus communia exoriri videntur nec non varia contemplandi genera, quae ab aetate, sexu, adjunctis cujusque personae intime dependent. Ut ampliorem operis habeas comprehensionem, en tibi indicem praebeamus: INTRODUCCION: 1. Imagen y conocimiento; 2. El efecto secuencial; 3. Material y población. PARTE I: DE LA TOTALIDAD DEL SIGNIFICANTE AL SIGNIFICADO GLOBAL; 4. El desarrollo del sentido; 5. Los protocolos no estructurados; 6. Las actitudes intelectuales durante la prueba; PARTE II: DEL SIGNIFICANTE PARCIAL AL SIGNIFICADO PARCIAL: 7. Asimilación y acomodación; 8. Lectura longitudinal transversal. Conclusión. ANEXOS. CUADROS. BIBLIOGRAFIA.

ALVAREZ MOLINA, R. — *Variaciones sobre Antonio Machado: El hombre y su lenguaje*. Ed. Insula, Madrid, 1973. Pág. 110. Ptas. 160.

Quattuor lucubrationes hoc volumine divulgantur quibus en index: I. Antonio Machado: Juglar de su época (p. 13); II. La tradición castellana en "Anoche cuando dormía" (p. 29);

III. El paisaje soriano (p. 45); IV. Ver y mirar: Verbos clave, caracterizadores de la poesía de Antonio Machado (p. 65). R. Alvarez Molina, in Eboraci Novi Universitate Professor, fructus diuturnarum investigationum de clmo. poeta hispano Antonio Machado tradidit hoc volumine, quo auctor inquirere contendit quae sit intima ejus ingenii poetici indoles quaeque apud eundem sit vera Hispaniae significatio atque interpretatio. Id Professori R. Alvarez Molina tribuimus in investigando novitati quod Antonium Machado contemplatur quasi signiferum optimae traditionis popularis castellanae, praesertim cum poeta pulcherrimum nobis praebeat exemplum obsequii ac reverentiae erga res humillimas hominumque consuetudines. Cum auctor investigat quo modo, quos describit naturae locos, Antonius Machado sentiat, nos certiores facit singularem ejus visionis virtutem in eo esse ut summa animi mollitie ad res appropinquet earumque quasi palpitationem et spiritum sorbere videatur; quod poetice res prosequendi genus auctor confert cum ea mysticorum ratione ac via, quae "loci compositio" ab eis vulgo nuncupatur quaeque tria habet momenta: lectionem seu naturae loci visionem, contemplationem, a sensu mentis abstractionem. Quod ad visionem poeticam spectat, apprime investigatur discrimen inter verbum hispanicum "ver" (lat. "explorari, considerare, introspicere, speculari, rognoscere") et "mirar" (lat. "intueri, aspicere, speculari, intendere animum, cogitare").

BAEN, A. — *Método práctico de educación sexual colectiva*. Ed. Marova, Madrid, 1973. Pág. 160.

Ut ex indice colligitur, volumen editum est, quamplurimis juventutis in-

stitutoribus expetentibus, qui jamdiu opus hujus generis desideraverant. Cum tamen institutio ad sexum ejusque quaestiones pertinet et ea in primis quae non private sed communiter traditur haud parvis apud hispanos difficultatibus implicetur atque hucusque fere sit inexplorata, editores prima operis parte: I. ANOTACIONES SOBRE LA EDUCACION SEXUAL COLECTIVA, excursu quodam perfecto, de quamplurimis quaestionibus agunt: quantum scilicet institutio sexualis communiter peragenda in variis orbis nationibus polleat, quanta sit ejus in juvenum institutione necessitas ad familiam et scholam quod spectat, quos fines assequendos haec institutio curet, quae ratio ac via utenda sit, quique errores devitandi. Parte altera: II. SUGERENCIAS DE EDUCACION SEXUAL COLECTIVA, hae res magni momenti attinguntur: specimen seu programma institutioni sexuali perficiendae, praecipuae adulescentium proprietates psychologicae, non nulli fines educationis sexualis in ea aetate persequendi, rationes ac viae technicae quae in re plurimum valent, fontes institutionis sexualis qui in juventute hispana inveniuntur. Tertia parte: III. METODOS PRACTICOS, GUION Y NOTAS A LAS DIAPOSITIVAS, non nullae habentur animadversiones, textus oralis ad imagines fixas ope lucis impressas illustrandas praebetur cum bibliographia demum de re selecta et per utilibus commentariis instructa legentibus offertur. Opus appendice finitur quo initia atque difficultates institutionis sexualis in scholis hispanicis describuntur.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

PALAESTRA LATINA

Index rerum atque scriptorum

a. 1973 et 1974

Index a. 1973 et 1974

Numeri, qui post nomen auctoris indicemque materiarum primo loco prostant, numero fasciculi PALAESTRAE LATINAE respondent. Numeris autem, qui secundo consignantur loco, paginae ejusdem fasciculi memorantur.

Disputationes praecipuae

JIMÉNEZ, J. M. — *De libro Alfonso Lupeji Cureleani "De vini commo-
ditatibus" Caesaraugustae anno MDL
edito*, 221, 3.

GRISART, A. — *Quaedam nova de
Caesare inter Scaldim et Rhenum
bella gerente*, 221, 31.

DE FRANCO, H. — *Julia*, 221, 41.

POVSIC, B. S. — *De romanorum et
nostrorum vita ut ex Ovidii Amori-
bus colligitur*, 222, 71.

MIR, J. M. — *Nova verba latina:
de voce "alcohol", de voce "lagoena",
de voce "benzina"*, 222, 83.

GRILLONE, A. — *De simulatis som-
niis apud graecos atque romanos epi-
cos poetas*, 222, 99.

PIOVESAN, AE. — *De Vergili mi-
rabili vi in comparationibus effingen-
dis*, 222, 109.

ANGELINO, V. — *Interminatum lu-
nae silentium*, 223, 131.

DE FRANCO, H. — *Nausicaa illa...*,
223, 159.

CIRESOLA, TH. — *Rude donatus*,
224, 3.

POVSIC, B. S. — *Quid sit homo li-
beraliter institutus*, 224, 49.

IJSEWIJN, J. — *Cycneus latinitatis
cantus*, 225, 67.

MIR, J. M. — *Quid ex scriptori-
bus et commentariis superiorum aeta-
tum inferre possimus ad conficien-
dum lexicon recentis latinitatis*,
225, 83.

VUORI, T. — *Vir romanus*, 225, 97.

PIOVESAN, AE. — *Quid Horatius
de Lucilio poeta senserit*, 225, 107.

Carmina

CIRESOLA, TH. — *In captivitate
Petri*, 221, 19.

MORABITO, B. — *Apella ad Flac-
cum*, 222, 79.

AMBROSI, J. — *Materni carmen
amoris*, 222, 105.

PAONE, R. — *Carmina*, 223, 145.

MARINELLI, J. — *"Ne cessare pu-
tes rerum primordia posse"*, 224, 25.

MARINELLI, J. — *Carmina*, 225, 73.

PAOLETTA, H. — *Reditus*, 225, 103.

Textuum commentaria

MIR, J. M. — *Horatius verborum
praestantiam, praesertim ex colloca-
tione, perpetuo in carmine assequitur*,
224, 33.

Varia

MARINELLI, J. — *De astronautis "Apollo XVI" itinere*, 221, 25.

X. — *Ex actis Certaminis Capitolini XXIII*, 221, 39.

X. — *Seminarium linguae latinae colendae et exercendae*, 221, 38.

X. — *VI Conventus Studiorum Classicorum Internationalis*, 221, 40.

POVSIC, B. S. — *De primo Ovidiani conventu Tomis habito*, 222, 67.

MARINELLI, J. — *Astronautis "Apollo XVII" postremum iter peregit*, 222, 113.

PIOVESAN, AE. — *De aliquot poetis latinis XVIII-XIX saeculi*, 223, 169.

MINICUCCI, A. — *De conventu Ovidiano Tomis habito*, 224, 15.

PAUCKER, G. — *Tutzingensia latinitatis seminaria anno 1974 habenda*, 224, 57.

Bibliographia

AGUIRRE, J. M. — *Antonio Machado, poeta simbolista*, 225, in operculis.

ALARCOS LLORACH, E. — *Gramática estructural*. (Según la escuela de Copenhague y con especial atención a la lengua española, 222, 126.

ALVAREZ MOLINA, R. — *Variaciones sobre Antonio Machado: El hombre y su lenguaje*, 225, 121.

ANDRÉ, J. — *Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre XXIV (Remèdes tirés des arbres sauvages)*, 222, 120.

ARNHEIM, M. T. W. — *The Senatorial Aristocracy in the Later Roman Empire*, 221, 53.

BAEN, A. — *Método práctico de educación sexual colectiva*, 225, 122.

BABIN, P. — *Fotopalabra 3. El Evangelio hoy* (II), 224, 63.

BABIN, P. — *He aquí el hombre. Libro del joven*, 221 in operculis.

BABIN, P. — *Lo audio-visual y la fe*, 224, 62.

BAGOT, J. P. — CAMPEAUX, B. — *He aquí el hombre. Reflexiones y orientaciones pedagógicas*, 221 in operculis.

BAYERISCHEN AKADEMIE. — *Mittel-lateinisches Wörterbuch*. II Band Lieferung 5 (15 Lieferung des Gesamtwerkes), col. 641-800 (*cirrus-cognoscibilis*), 223, 183.

BEAUJEU, J. — *Apulée: Opuscules Philosophiques (du Dieu de Socrate, Platon et sa doctrine, du Monde) et Fragments*, 225, 113.

BENVISTE, E. — *Problemi di linguistica generale*, 225, 118.

BERNACHON, P. — *Niños y adolescentes fatigados*, 221, 60.

BIELER, L. — *Geschichte der römischen Literatur*. Vol. I: Die Literatur der Republik. Vol. II: Die Literatur der Kaiserzeit, 221, 53.

BIZOS, M. — *Xénophon: Cyropédie, tome II, livres III-V*, 223, 187.

BLESS, W. — LEEUWEN, H. — *Manual del Catecismo Holandés*, 222, 128.

BÖSING, L. — *Griechen und Römer im Augustusbrief des Horaz*, 223, 183.

BUSCHOR, E. — *Das hellenistische Bildnis*, 221, 51.

BYL, S. — *Initiation à l'art grec*, 223, 185.

BYL, S. — *Initiation à la civilisation grecque*, 223, 184.

CALLEBAT, L. — *Vitruve: De l'architecture, livre VIII*, 225, 115.

CAPA, J. — *Cómo descubrir las necesidades culturales de un barrio*, 223 in operculis.

CARNOT, Dr. — *El libro del joven. El libro de la joven*, 224 in operculis.

CARO, M. A. — CUERVO, R. J. — *Gramática de la lengua latina para el uso de los que hablan castellano*, 222, 120.

- CASSON, L. — *Ships and Seaman-ship in the Ancient World*, 222, 119.
- CHUMILLAS, J. — *Cursillo de adolescentes. Catequesis para los 12/14 años*, 221, 64.
- CLAVEL, M. — LÈVÊQUE, P. — *Villes et structures urbaines dans l'occident romain*, 221, 63.
- COLE, T. — ROSS, D. — *Yale Classical Studies* 23. (*Studies in latin language and literature*), 224, 61.
- COOK, A. — DOLIN, E. — *An Anthology of Greek Tragedy*, 222, 122.
- COURTONE, Y. — *Un témoin du IVe. siècle oriental: Saint Basile et son temps d'après sa correspondance*, 225, 114.
- CULLMAN, O. — *Verdadero y falso ecumenismo*, 221, 60.
- D'AGOSTINO, V. — *M. Tullio Cicerone, Cato Maior De Senectute*, 224, 59.
- D'AGOSTINO, V. — *L. M. Tullio Cicerone, Laelius de amicitia*, 221, 57.
- DEBRUNNER, A. — SCHERER, A. — *Geschichte der griechischen Sprache, II (Grundfragen und Grundzüge des nachklassischen Griechisch)*, 223, 183.
- DE CHAMPOURCIN, E. — *Dios en la poesía actual. La búsqueda de Dios en la poesía moderna española e hispanoamericana*, 223, 191.
- DELEBEOQUE, E. — *Xénophon: Le Commandant de la Cavalerie*, 223, 187.
- DELLA CORTE, F. — *Opuscula II*, 221, 54.
- DEL RE, R. — *Seneca: Operete Morali. Vol. primo: Della Provvidenza, Della Costanza del Saggio, Della Tranquillità dell'anima, Dell'Ozio. Vol. secondo: Dell'Ira, Della Clemenza. Vol. terzo: Consolazione per Marzia, Consolazione per la madre Elvia, Consolazione per Polibio, Della vita felice, Della brevità della vita*, 221, 62.
- DE ROSALIA, A. — *Iscrizioni latine arcaiche*, 221, 52.
- DES PLACES, E. — *Numénius: Fragments*, 223, 186.
- DI BENEDETTO, V. — *Euripide: Teatro e società*, 222, 123.
- DI MACCO, M. — *Il Colosseo. Funzione simbolica, storica, urbana*, 221, 58.
- DUFOUR, M. et WARTELLE, A. — *Aristotele: Rhétorique, t. III (livre III)*, 225, 114.
- EDWARDS, I. E. S. — GADD, C. J. HAMMOND, N. G. L. — SOLLBERGER, E. — *The Cambridge Ancient History. Vol. II, Part. 1: The Middle East and the Aegean Region c. 1800-1380 B. C.*, 222, 127.
- FRÉCAUT, J. M. — *L'esprit et l'humour chez Ovide*, 225, 118.
- FRISK, H. — *Griechisches Etymologisches Wörterbuch. Band III Nachträge. Wortregister. Corrigenda. Nachwort*, 223, 184.
- GARCÍA Y BELLIDO, A. — *Nueve estudios sobre la Legio VII Gemina y su campamento en León*, 222, 125.
- GASPAROTTO, G. — *Ancora Lucrezio nel "Bucolicum Carmen" (XII "Conflictatio") del Petrarca*, 222, 123.
- GASPAROTTO, G. — *Sull'ordine di alcuni frammenti delle "Historiae" Sallustiane*, 222, 123.
- GIOVANNONI, G. — *La tecnica della costruzione presso i Romani*, 221, 57.
- GIARE, G. W. — *Oxford Latin Dictionary. Fasc. IV: Gorgonia - Libero*, 225, 112.
- GOODYEAR, F. R. D. — *Tacitus, The Annals. Vol. I: Annals 1. 1-54*, 221, 51.
- GRANT, M. — *Das Römische Reich am Wendepunkt. Die Zeit von Mark Aurel bis Konstantin*, 223, 188.
- GRILLONE, A. — *De simulatis somniis apud graecos atque romanos epicorum poetas*, 222, 125.
- GRILLONE, A. — *Il simbolo della Croce nei primi scrittori cristiani (II-V sec.)*, 222, 124.

- GRILLONE, A. — *Il sogno nell'epica latina. Tecnica e poesia*, 222, 124.
- GRILLONE, A. — *Virgilio nei papiri egiziani*, 222, 124.
- GRILLONE, A. — *Sintesi della letteratura greca dell'età ionica e notizie sulle origini della letteratura latina*, 222, 124.
- GRILLONE, A. — *La nutrice nell'IPPOLITO di Euripide*, 225, 119.
- GUAZZONI FOA, V. — *La libertà nel mondo greco I*, 221, 55.
- HAVIGHURST, R. J. — TABA, H. — *Carácter y personalidad del adolescente*, 223, 192.
- HEINEN, W. — *Fundamentos de una moral cristiana. Sobre antropología moral*, 224 in operculis.
- HOFFMANN, O. — SCHERER, A. — *Geschichte der griechischen Sprache, I (Bis zum Ausgang der Klassischen Zeit)*, 223, 183.
- HOURLIN, G. — *Bonhoeffer, Una Iglesia para mañana*, 221, 59.
- ISTITUTO DI STUDI ROMANI. — *Certamen Capitolinum XXIII (MDC-CCCLXXI)*, 222, 124.
- JARRY, A. — *Education artistique. A la décourverte des arts plastiques*, 221 in operculis.
- LAFARGUE, A. — *Vers une grammaire nouvelle. Premier fascicule: Le groupe-sujet. Le groupe du verbe: l'attribut. Deuxieme fascicule: Le groupe du verbe: le complement. Troisieme fascicule: Le groupe du verbe: le verbe, les temps du récit. Livre du maitre 4, 5, 6*; 221, 54.
- LAMBERT, P. et M. — *Hablan los jóvenes*, 225, 120.
- LE BONNIEC, H. — LE BOEUFFLE, A. — *Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre XVIII (Des céréales et des légumineuses)*, 222, 120.
- LEGRAND, L. — *Psicología aplicada a la educación intelectual*, 221, 61.
- LINAGE CONDE, A. — *Los Orígenes del Monacato Benedictino en la Península Ibérica: vol. I. El monacato hispano prebenedictino; vol. II. La difusión de la "Regula Benedicti" en la Península Ibérica; vol. III. Monasticon Hispanum. Apéndices*, 225, 111.
- LINAGE CONDE, A. — *Una Regla Monástica Riojana Femenina del siglo X: El "Libellus a Regula Sancti Benedicti Substractus"*, 224, 59.
- LÓPEZ DE LA VIESCA, E. — *El forum musical*, 224, 63.
- MALMBERG, B. — *Lingüística estructural y comunicación humana. Introducción al mecanismo del lenguaje y a la metodología de la lingüística*, 222, 126.
- MARCHI, R. — *I passatempi dei romani antichi*, 221, 61.
- MARTINET, A. — *La lingüística sincrónica*, 222, 126.
- MEILLET, A. — *Historia de la lengua latina*, 225, 112.
- MIALARET, G. — *El aprendizaje de la lectura*, 223 in operculis.
- MILLER, G. — QUADFLIEG, J. — *Manual del Nuevo Catecismo Católico*, 222 in operculis.
- MONTENEGRO DUQUE, A. — *Historia de España, Edad antiguo I: España prerromana*, 225, 115.
- MOUROUX, J. — *Sentido cristiano del hombre*, 224, 64.
- NOVÁK, J. — *Cantiones latinae medii et recentioris aevi ad cantum cum cithara*, 223, 186.
- NOVÁK, J. — *Florilegium cantionum latinarum. Melodiae veteres ad cantum cum clavis accommodatae. Fasc. I.: Hymni et cantica natalicia*, 223, 186.
- OXFORD LATIN DICTIONARY. — *Fascicle III Demiurgus-Gorgoneus*, 221, 59.
- PAANANEN, U. — *Sallust's politico-social terminology*, 221, 58.
- PALACIOS, L. E. — *Salutación y otros poemas*, 225, 119.
- PALADINI, V. — DE MARCO, M. — *Lingua e Letteratura Mediolatina*, 221, 55.

- PALERMO, N. — *Echi di guerra... sogni di pace...* Antologia dalle opere di Cesare, Catullo, Poeti elegiaci, 223, 190.
- PALERMO, N. — *La conquista romana: missione o imperialismo.* Antologia delle opere di Virgilio, Livio, Cesare, 223, 190.
- PALERMO, N. — *Roma: ideali e lotte politiche.* Antologia delle opere di Virgilio, Livio, Cicerone, Sallustio, 223, 190.
- PAOLI, M. — *Vita d'ogni giorno in Roma antica*, 225, 116.
- PARRY, A. — *Studies in Fifth Century Thought and Literature* (Yale Classical Studies 22), 221, 54.
- PELLEGRINO, M. — ALIMONTI, T. — CARROZI, L. — *Opere di Sant'Agostino. Parte II: Le lettere, I.º Vol.* (1-123), 222, 121.
- PELLETIER, A. — *Lexique d'antiquités romaines*, 223, 190.
- PENDLEBURY, J. D. S. — *The Archaeology of Crete. An introduction*, 221, 62.
- PEREIRA, C. — *Palabras a la juventud.* Tomo I: *El año litúrgico.* Tomo II: *Temas juveniles*, 221, 61.
- PÉREZ DE TUDELA, C. — *Mi lucha por la montaña*, 224, 62.
- PERROTTA, G. — ALBINI, U. — *Lirici Greci*, 225, 117.
- PETRONE, G. — *La battuta a sorpresa negli oratori latini*, 221, 58.
- PLOMMER, H. — *Vitruvius and Later Roman Building Manuals*, 224, 61.
- POTIER, R. — *Le génie militaire de Vercingétorix et le mythe Alise - Alesia*, 224, 60.
- RENEHAN, R. — *Greek textual Criticism. A Reader*, 221, 52.
- REUCHLIN, M. — *La psicologia diferencial*, 225, 120.
- RIBEIRO FERREIRA, J. — *Euripides: Andrómaca*, 221, 56.
- ROMANIELLO, G. S. — *La resurrezione di Virgilio*, 223, 189.
- ROMANO, T. — *Considerazioni storico-tradizionali sul teatro di Seneca*, 225, 117.
- RONCONI, A. — POSANI, M. R. — TANDOI, V. — *Manuale storico della letteratura romana*, 225, 116.
- RUDHARDT, J. — *Le theme de l'eau primordiale dans la mythologie grecque*, 221, 57.
- SALLAMANN, K. G. — *Die Geographie des älteren Plinius in ihrem Verhältnis zu Varro*, 221, 52.
- SAMUEL, A. E. — *Greek and Roman Chronology*, 221, 51.
- SCULLARD, H. H. — *Roman Politics 220-150 B. C.* Second edition, 223, 191.
- SOLE ROMA, J. M. — *Ministros de la Palabra. Homilias de los tres ciclos.* Vol. I: Ciclo A. Vol. II: Ciclo B. Vol. III: Ciclo C, 224, 64.
- SOUBIRAN, J. — *Cicéron: Aratea, Fragments paétiques*, 222, 119.
- SNOWDEN, F. M. — *Blaks in Antiquity. Ethiopians in the Greco-Roman Experience*, 221, 52.
- STUMPF, J. — *Introduction à la stylistique du français*, 223, 185.
- THIBAUT-LAULAN, A. M. — *El lenguaje de la imagen*, 225, 121.
- VARIOS. — *Estudios sobre el mundo helénico*, 221, 56.
- VESSEY, D. — *Statius and The Thebaid*, 223, 188.
- VIAL, C. — *Lexique d'antiquités grecques*, 223, 190.
- VIALAR, P. — *Intenta ser un buen deportista*, 221, 60.
- VILLEGAS, J. — *La estructura mítica del héroe*, 225 in operculis.
- WEINSTOCK, S. — *Divus Julius*, 221, 51.
- ZIEGLER, K. — *Plutarchi Vitae parallelae. Vol. III. Fasc. 1*, 221, 55.
- ZIEGLER, K. — SONTHEIMER, W. — *Der Kleine Pauly, Lexicon der Antike, Lieferung 22 (Prasodes thalassa-Scaurus)*, 222, 128.
- M. MOLINA, C. M. F.

B I B L I O G R A P H I A

VILLEGAS, J. — *La estructura mítica del héroe en la novela del siglo XX*. Ed. Planeta, Barcelona, 1973. Pág. 230.

Omnes forte miramur unam eademque esse structuram in quamplurimis operibus litterariis: actor scilicet princeps comprobare tandem solet vitam suam ejusque significationem sibi non satisfacere in proprio loco eumque sibi esse derelinquendum itinere quodam, quo peracto aliud vivendi genus exoritur vel in eundem locum redit nova experientia novisque cognitionibus quibus aliis hominibus proposit locupletatus. In fabula romanensi hodierna hujus modi structura saepissime iterari solet; quod auctorem impulit ad comprobendam talem *structuram mythicam* tamquam rationem ac viam peragendi explicationem analyticam. Cum Prof. J. Villegas minime praetereat quanta mythus aestimatione polleat sive in psychologia sive in anthropologia, ostendere plane contendit talem "structuram mythicam" in magno fabularum romanensium recentium numero inveniri. Ita auctor munus mythicum in operis structura prorsus manifestat maxime cum momento historico congruere, quo opus litterarium exaratum est. Prima operis parte Prof. J. Villegas analytice criticeque describit rationem ac viam structurae hujus mythicae ejus praecipua elementa seu "mythemata" quae dicuntur, per quamplurima testimonia discurrens recentis fabulae romanensis saeculi XX. Altera tamen parte tres fabulae romanenses hispanice conscriptae singillatim investigantur: "Camino de perfección", "Na-

da", "Tiempo de silencio", quo, acutissimi examinis ope, ratio ac viae structurae mythicae considerantur.

AGUIRRE, J. M. — *Antonio Machado, poeta simbolista*. Ed. Taurus, Madrid, 1973. Pág. 388.

Ratio quaedam critica, saepe leviter rem attingens, interdum aliarum opinionum sententias repetens, imaginem poetae Antonii Machado tradidit, quae in ejus aestimatione et admiratione potius quam in vero serenoque operum poeticorum examine nitebatur. Ad quam imaginem delendam, quae ceterum falsa videtur, auctor sibi proposuit rei investigationem hac via atque ratione: primum inscribere contendit poesim A. Machado lyricam in propriae aetatis finibus, scilicet, a romanticorum poesi decadenti usque ad nostra tempora seu symbolistarum aetatem. Quod ut investiget Prof. J. M. Aguirre primos fontes et scripta artificum et criticorum extremi saeculi XX accuratissime adit. Deinde secunda operis parte auctor totis viribus efficit ut poesis A. Machado se ipsa quasi interpretetur atque in propria structura radicem ultimam revelet, ex qua exorta est, adeo ut investigationis ope auctor, quod A. Machado aperte asseruit, assecutus sit: "Nulla est poesis lyrica quae e facultate sentiendi non oriatur". Quod denique ab investigatore colligitur postquam rem accuratissimo examine operum machadianorum inspexit: poesim nempe A. Machado utpote symbolistarum aetate circumscriptam symbolistica condicione et indole praeditam esse.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

TEXTOS PALAESTRA LATINA

GRAMATICA GRIEGA, Planque, Aneme, Lerniaux, 2. ^a ed.	100'—
GRAMATICA LATINA, J. Delgado. (Agotada)	70'—
REPETITORIUM, J. Delgado	70'—
DE ORTHOGRAPHIA LATINA, J. Delgado	20'—
INDEX ORTHOGRAPHICUS, J. Delgado	6'—
CICERONIS PRO ARCHIA ORATIO, J. Delgado	20'—
CICERONIS IN CATILINAM ORATIO PRIMA, J. Delgado	20'—
HISTORIAE SACRAE COMPENDIUM, J. Delgado	20'—
EPITOME HISTORIAE GRAECAE, J. Delgado	20'—
CICERONIS EPISTULAE SELECTAE, J. Mir	20'—
VERGILI AENEIDOS LIBER II, E. Martija	20,—
PRUDENTI CARMINA SELECTA, E. Martija	20'—
CORNELI NEPOTIS VITAE, M. Ramos	20'—
CICERONIS PRO Q. LIGARIO ORATIO, M. Ramos	20'—
MARTIALIS EPIGRAMMATA, R. Sarmiento	15'—
HORATI CARMINA SELECTA, Zuloaga	20'—
HOMERI ODYSSEA, Lib. I, D. Ruiz	25'—
XENOPHONTIS ANABASIS, M. Ramos	25'—
NOVA VERBA LATINA, J. Mir	500'—

Pedidos a:

EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 184 Hipòcrates - Tractats mèdics (vol. I)
- 185 Aristòfanes - Comèdies (vol. IV)
- 186 Cèsar - Comentaris de la guerra civil (vol. I)
- 187 Sal.lusti - Apèndix (Fragments i obres espúries)
- 188 Ciceró - Discursos (vol. X) Catilinàries

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA